O T I A
SEBETHI, AC SABBATI;
S I V E
HEROES MONARCHIÆ
CAROLI BORBONJ
ILLUSTRIORES.
BARTHOLOMÆI DONATI
POEMATUM
LIBRI QUATUOR,
MAJESTATI
MARIÆ AMALIÆ
WALBURGÆ
Utriusque Siciliæ Reginæ, ac Hierusalem &c.
EJUSDEM
CAROLI AMANTISSIMÆ CONJUGI
DICATI.





EXCUDEBAT NEAPOLI STEPHANUS ABBAS,
ÆRÆ VULGARIS ANNO MDCCXXXVIII.

Auctoritate Publica.

Digitized by Google

Digitized by Google

M A J E S T A T I

MARIÆ AMALIÆ

W A L B U R G Æ

UTRIUSQUE SICILIÆ REGINÆ, AC HIERUSALEM &c.

EJUSQUE NUMINI

S O S P I T A T E M

Bartholomæus Donatus Pudibundus
pudentissimo precatur animo.



Os claros TIBI *pace homines*, *belloque potentes*
Sistimus Heroas, BORBONIOSQUE *Duces*.
Quos CAROLI *imperio ludens collegit ab omni*
Musa viros, *quatuor concinuitque libris*.

Digitized by Google

Et licet insignes titulis, fastisque superbi,
Ante tuos sistunt gesta superba pedes.

Et Capita alta Ducum, toto clarissima mundo,
TE *venerantur adbuc, officiosa fovent.*

Saxone ab indomito, gelidisque humentibus oris
Hìc ades, inflammas corda, animosque virûm.

Ut SPONSAM CAROLO *primùm* TE *fama fatigat,*
Quisque ardet nostrûm, flagrat amore TUI.

Per TE, *namq; videt* CAROLO *hæc æterna manere*
Regna; suum fore per TE, *stabile imperium.*

Per TE *namque redit majori copia cornu,*
Per TE *pax splendet, perpetuòque manet.*

Hinc amor incessit magis, & magis ardor habendi
TE *crevit, vultus visere, & ora tua.*

Quod postquam explevisti his quando allaberis oris,
Omine felici, regnaque nostra beas.

Tunc ingens amor, ingens tunc quoq; crevit et ardor;
Gaudia tunc auget dulcis Imago TUI.

Nam charites, quæ fronte sedent sat corda, animũq;
Monstrant, queis populos quàm speciosa beas.
Undi-

Undique tunc populi, civis lætatur & omnis,
Et geminat plauſus undique feſta dies.

Hinc ſonitu plaudunt turres, hinc ignibus arces,
Lætior atque focis ſplendet ubique domus.

Felicem exoptant ſobolem, felicia namque
Veſtrâ è progenie ſurgere regna tenent.

Quos inter decet ut quoque nos lætamur, & omnes
Quærimus, ut pateant gaudia noſtra, modos.

Antea quod facere & cum dira Aſtræa negaret,
Egimus occluſo nuper in urbe foro.

Quò curis licet ire levis, Pindique Camœnas
Viſere, Caſtalios & bibere aure ſonos.

Sic quos jam Heroas cecinit mea muſa reſumens;
Lætior ad Pindi culmina rurſus ago:

Et poſtquam ut potui meliùs, meliùſque reviſi;
En TIBI *nunc plaudunt, auſpiciiſque tuis.*

CAROLUS *hos inter nimiùm, nimiùmque refulget,*
Sunt regni aſt alii ſubdita membra ſui.

Phœbus uti ſplendet primus, gaudentque ſecundi
Eſſe ſuper regnis aſtra minora tuis.

Fer-

Digitized by Google

Fervet amore tui CAROLUS, *tamen hi quoq; fervent,*
Dulciùs obsequio subdere colla tuo.

At TIBI *dum plaudunt, ac* TE *venerantur, & ornant,*
Hos TIBI, TU *patere, ut sistat Apollo viros.*

Et TIBI *debentur*; CAROLI *nam gesta superba*;
Per TE *facta patent, sic quoque gesta Ducum.*

Utque horum, CAROLIQUE *sonet, per secula nomen,*
Sic quoque TE *aeternùm sospitet ipse Deus.*

Me tua Majestas contra suffulciat alma,
Et minimus vatum, tunc quoque sospes ero.

Quod tamen efficies, hos cum dignabere libros
Suscipere, & facilis carmina nostra leges.

Hoc precor: & decet; haec animi monumenta fidelis
Sunt equidem, & vatis dedita corda notant.

H.nc & ne mirere: alii sonuere per orbem,
Postquam TE, CAROLUM, *Conjugiique diem,*

Ultimus adveniam; facilì dicturus avena,
Et gesta Heroum, & Conjugis acta tui.

Ultimus & quamquam tua, TE *cecinisse videbor,*
Attamen ista placent si TIBI, *primus ero.*

QUI

SABBATUS.



QUI ſim forte rogas? nomen non undiq;clarum;
Hebdomadis quamvis omnibus addo diem.

Flumen ego ſum, & aquarum non ignobile flumen;
Si Vulturne ò, ſum pars ego magna tui.

*Serini regio mihi dat primordia fontis,
Atripaltæ dein mœnia lambo ſtrepens.

Se mecum * Calor Beneventi ad mœnia jungit,
Perdimus hìc noſtrum nomen utrumque vetus.

Hinc mixtis undis, & creto flumine, origo
Fit Vulturne tui, quâ furibundus abis.

Sabbatus unde vocor tandem ſi forte requiris;
Sabbatia urbs quondam, nomen ubique dedit.

Parthenope, Sebethe, tuâ urbs hæc clarior, ingens
Jamque fuit; Siren nec tua ſtabat adhuc.

Hanc Roma evertit victrix *, Carthaginis altæ
Poſtea quàm partes clara ſecuta fuit.

No-

* *Hirpinorum plaga inter præruptos ſita montes, vulgò* Serino.
* *Eorundem Hirpinorum celebre flumen;* Calore.
* *E vulgata loci traditione, quo priſcæ urbis rudera in præſentia adhuc viſuntur.*

Nomen, & inde meum, quod clariùs ante gerebam,
  Sorte ſuâ infelix, urbe cadente, cadit.

Nobilitas tamen ipſa ſtetit mihi originis altæ
  Semper, & undarum copia magna ſtetit.

Digniùs eſt mihi nomen, origo vetuſtior, unda
  Uberior, triplici cinctus honore fluo.

Cede ergo, Sebethe, mihi, & ſi obſcurior olim,
  Clarior è chartis ſurgat imago mei.



QUÆ



Digitized by Google



M.I.D. B.D. *Ant. Baldi sculp.*

Digitized by Google

IN REGUM TABULAM.
CAROLO VICTORI.



QUÆ contra Caroli victricia cernitis Ora,
 Zeuxidis haud pinxit, Parrhasiive labor;
Sed genii pingebat amor, qui cogit Apellis
 Me jam demissas rursus adire domos.
Tempus erat, primâ quo me florente juventâ,
 Hæc mea pingendi lusit in arte manus.
Sed me postquam Astræa trahit per jurgia, Phœbi
 Linquimus haud ultro, Parrasiique lares.
Nunc Carolus Phœbum revocans ad gaudia Pindi,
 Jure & Parrhasius nunc revocandus erat.
Ut qui jam socii coïre in fœdera quondam,
 Nunc Caroli ludant gesta, vel ora simul.
Quæ Caroli valuit victrix accendere mentem
 Pingendi insuetas ducat imago manus:
Quodue deest arti genialis suppleat ingens,
 Nostris qui ingenuus cordibus hæsit amor.
Hostes qui vicit, nostra & præcordia vinxit,
 Ingeniis artem vincat, & addat opem.
Undique cum fuerit sic Victor, & undique Magnus;
 Jure triumphatrix vox sonat una Sui.

Digitized by Google

MARIÆ AMALIÆ WALBURGÆ

Effigies.



HÆC exempla Tui, quæ sunt à Saxone picta,
Hæc mea depromsit ludicra facta manus.
Vera quidem sunt, pictor si tamen arte fefellit,
Vera tamen nostris cordibus illa manent.
Ut primùm nobis Tua se præbebit Imago,
Pingetur tabulis verior illa meis.
Nunc patere, ut posuit pictor, posuisse tabellam,
Quæ Tibi nostra vovet corda, fidemque sacrat.
Munera parva quidem, tamen hæc ne despice; parva
Munera nam magnum pignus amoris habent.



Hæc

Digitized by Google



Ejuſdem
Altera poſt Neapolim Adventum Effigies.



HÆC exempla Tui, ſunt quæ mage vera, reviſa
  Præbuit hìc nobis nuper Imago Tui.

Dum promiſſa damus, niteant ut vera tabellis,
  Hoc unum addendum dulcis Imago monet:

Pulchra quidē ſum, ſed mihi quæ ſapientia menti eſt,
  Saxo feſtinans immemor arte negat.

Adde hanc ſi potes; AMALIAMQUE in imagine veram
  Pinges; ſic MARIAM pingere tuque potes.

Plaude ergo Siren, doctâ cum Pallade, caſta
  Saxone ab indomito venit in urbe Venus.



Ambo cur junctim pingantur.



REgalem effigiem ſtringit parva orbita utramq;
Ut nexu reddat nobiliore pares.
Mutua Majeſtas ne ſe lædatque, vel umbret,
Alteram in alterius corde coarctat Amor.

Cur inter nubes.



QUÆ Regũ Aligeri ducunt exempla per æthrã,
Ludentes certant inſeruiſſe polo.
Non ut muſa ſolet: Fama eſt, quæ regia dicat
Geſta, triumphatrix vel canat alma decus.
Ut ſint fauſta magis cœlum petiiſſe videntur,
Vel fato illudant, dum per inane volant.
Sed tamen amborum fatum eſt petere ardua, ut ipsã
Invidiam vincant dum ſuper aſtra nitent.

Aliud.



QUòd cœlum repetant ne tu mirabere, Reges
Unus, qui caperet, non ſatis Orbis erat.

Eiſdem.
Ad Felicitatem alluditur, & Victoriam in tabula pictas.



QUÆ ſedet à Sponſæ lęvâ, Sponſam eſſe beatam,
Felicemque canit, fataque fauſta probat.
Nos tua dum felix à lævâ ſoſpitet Uxor,
A dextrâ victor, Tu quoque dexter ades.

De Gloria ibidem picta.



GLoria, quæ picta in tabulâ eſt, te quàm bene pi-
Increpat, atque modos arguit ipſa tuos. (ctor
Nam Regum effigie pictâ, quid poſſet Apelles
Viribus ingenii pingere ſplendidius?
Incaſſum ergo, alibi pingenda eſt Gloria: namque
Regibus hìc pictis Gloria picta fuit.

De Sebetho.



UT placidus Regum felicia reſpicit ora
Sebethus, placidè ſic fluit unda ſui.
Non

Digitized by Google

Non placidam, quòd ei dederit Natura quietem,
Gaudia sed cordis, quæ tenet, ore refert.

Unde venit plausus, fluvii quò gaudia surgunt?
Regum ex adspectu defluit omne bonum.

Cives namque suos noscens, populosque beatos
Regis ab adventu, lætior ipse fluit.

De Parthenope.



QUÆ defert Siren rubicunda coralia amorem
In Reges monstrant, ingeniosa notant.

Illa rubent, ardescit amor; sunt utraque cordis
Signa sui, fidei vel monumenta suæ.

In Reges ergò quòd gaudet, & esse beatam
Se videt; haud mirum, gaudet amore sui.

De Sicilia.



QUÆ stat Sebethum supra, Sicania Virgo est,
Exemplum; Siren, læta secuta tuum;

Hæc postquam tecum junxit sua brachia, & unum
Conflavit corpus, plaudit amica simul.

Hor-

Digitized by Google

Horrea, quæ dextrâ defert, ceciniſſe videntur,
 Quâ CAROLUM regem luſit ubique, fidem.

Illa virent, en iſta flagrat; ſed Regibus ambo
 Germina ſunt decoris, laudis opima ſeges.

De Felicitate.



SEbethus, Siren, quoque me et Sicania luſit,
 Felices populos dum cecinere ſuos.

Felix ſorte tuâ Siren, Sicania felix,
 Felix Sebethus, cætera cuncta diù.

Ergo quid ſupereſt, cum ſint felicia cuncta,
 Copia cum latè currat ubique mea?

Non aliud; Reges tantum veneremur in Orbe,
 Sunt qui felices, nos et ab axe beant.

De Victoria.



QUæ primùm CAROLO plaudens Victoria, palmas
 Et cantare ſui geſta ſuperba dedit,

Dica-

Dicatur primùm; primùm & Sicania ludat,
Sebethus, Siren, gens, populique canant.

Omnia namque nitent per me felicia, & ipsa
Vestræ omen sortis, principiumque fui.

Per me, nam regnum, dum vicit Carolus hostes,
Per me, formosam nunc habet Amaliam.

Unum ergo superest; victores dicere Reges,
Æternam sobolem, Nestoreosque dies.

De Vesuvio.



Ultimus apparet reboante Vesevus in igne,
Deprimit & flammas, quas super astra vomet.

Amplius haud tonitrus, quibus amplas territat urbes,
Nec cinerum diros concitat iste globos.

Haud lapides vibrat, queis devastantur & agri,
Æquata & cernes oppida magna solo.

Ignibus innocuis Mons plaudit Regibus, atque
Mugiit ut placidè, sic quoque lætus ovat.

Motus nempe suos, fato plaudente, resignat
Regibus, & gaudet supposuisse vices.

CA-

Digitized by Google

CAROLUS
LIBER PRIMUS
ILLUSTRISS. ET EXCELLENTISS. DOMINO
D. EMMANUELI
DE BENAVIDES
SANCTI STEPHANI COMITI
INSCRIPTUS.

Eidem libri inſcriptio.

QUem vinci inſueti pavidi fugere Sicambri,
Itala cui tellus debet & omne decus;

Quem populi plauſu celebrant, et fama coronat,
Cujus in obſequium geſtit uterque polus,

Siſtimus, Emmanuel, tibi; Nam tibi ſiſtere virtus,
Illius imperium qua regis, ipſa jubet.

Tu puerum informas CAROLUM, tu pubere facto,
Ad virtutis iter regia corda moves.

Auſpice te, Tuſcas primùm nam venit ad arces,
Auſpice te, bellum ſuſcipit inde ferox.

Auſpice te, Parmæ populos regit, atque Placentiæ,
Auſpice te, regnum conſtituitque ſuum.

Ad maria inflexo redeunt ut flumina curſu,
Noſtri ad te CAROLI ſic redit omnis honos.

B Non

Non meliore potes rutilare ab Apolline; Regis
 Gloria virtutem dum canit alta tuam.

Ejusdem Effigies.



HÆc nos, Emmanuel, tua, quā veneramur imago,
 Indicat en mores quàm speciosa tuos.

Lilia mixta rosis, quæ florent ore sereno,
 Quàm bene, quæ tua sit mens, animusque, notant.

Majestas, quę fronte sedet, tua grandia monstrat
 Facta, quibus populis tu superesse doces.

Lis tamen orta inter tua facta, animumque videtur;
 Quæ major? virtus præstat utrumque decus.

Eidem olim Regi Administro.



PArthenope rerum ingens, indigestaque moles,
 Ordine permixto creditur esse Chaos:

Auspice te, Emmanuel, sumens sua membra, caputq;
 Ordine composito, cœpit habere Jovem.

Auspiciis dum habet ipsa tuis, Comes inclyte, formā,
 Ab Jove recta tuo splendet ut astra Jovis.

Pri-

Operis institutio

C A R O L O

indicta.



PRima tibi, Rex, scribantur mea carmina, primùm
De te dicendum, & facta canenda tua.

Postmodum & Heroas, qui te mandante ministrant
Arma, & jus populis, & tua regna regunt.

Si caput es regni; si tu praes omnibus, illi
Sunt tibi, sunt regni fortia membra tui.

Utq; hominis Corpus capite uno haud sistitur unquã;
Sisti sic solo haud regnaque rege valent.

Membra igitur capiti meritò subdantur, ut illa
Auspicio foveas, imperioque regas.



Ejusdem
PARENTES.

CArmina quis dederit, vel digna Parētibus almis,
Debita vel Matri, vel canat apta Patri?

Mens, animusque hærent, vel tantùm dicere nomen,
Sive PHILIPPE tuum; sive & ELISA tuum.

Gens BORBONA Illum, gens Hanc FARNESIA dicat;
Quod dixisse unum, continet omne decus.

Dies Natalitius.

HÆC bisdena dies albo signanda lapillo,
Jane, tui est, sacris & celebranda focis.

Hæc est illa dies, CAROLUS quâ venit in orbem,
Regius & nobis splendet in orbe puer.

Namque datur cui tam plenâ splendescere luce,
Bisdecies orbi posse micare datùm est.

Mensis Natalitius.

PRisca ætas belli caussa tibi, Jane, resignat
Mensem, & mense tuo nascitur en CAROLUS:

Sci-

Scilicet hoc oritur menſe, ut ventura notarent
Secula, quæ CAROLI bellica vita foret.

Falleris: hanc etenim vitam dum ſecula noſcunt,
Palladis, & Martis mixta trophæa vident.

Annus Natalitius.



JAmdudum à te, Sol, ſolares dicimus annos,
Et lunares a te quoque, Luna, tuos:

Tempora quòd quatuor Sol annum luſtret in unum,
Lunaque menſatim compleat axis iter.

Dicetur noſter jam nunc BORBONIUS annus,
Quòd CAROLUS fatum compleat Italiæ.

Regio.



AXE ſub Hiſpano vitales venit ad auras
Regius hic puer, & nomina prima capit:

Non puerile putas Hiſpano ſydere naſci;
Fortunæ adverſas non feret ille vices.

Auguror: hoc erit illi non mutabile fatum;
Aſtrorum ut curſus vertat ad arbitrium.

Præ-

Digitized by Google

Nomina, ſeu Tituli.

Infans Hiſpaniæ, Dux Parmæ, Placentiæ Caſtri, & Magnus Etruriæ Princeps, Rex Neapolis, Siciliæ, & Hieruſalem.



PRæclarum Infantis tibi, Rex, dat Iberia nomen,
Quæ magis ex ortu nobilitata tuo eſt.

Italia at majora parat; Tibi prima reſignat
Parma ſuos titulos, nomina prima Ducum.

Datque ſuos Caſtrum, dat & ipſa Placentia, & omnis
Felix eſt civis te moderante ſuus.

Addidit inde ſuum, quo ſplendet Etruria nomen,
Tuſcorum Magnus diceris & Dominus.

Ante Jovem lis non uno ſuperabilis ævo
Vertitur: Hiſpanis num præeant Itali?

Utrum tu victorem credes? Italus, eſt qui
Nomina plura dedit, geſtaque prima notat.

Dum lis hos inter pendet, nova dat tibi Siren
Nomina, quæ Regis nobiliora micant.

Addit

Digitized by Google

Addit & his Meſſana ſuum, o quàm nobile ; quo tu
Inter regem omnem quàm bene primus eris.

Non etenim ſolâ, qua fulget & ipſa, coronâ
Regales credes implicuiſſe comas:

Quæ Regio Chriſtum pendentem de cruce novit,
Nobile quàm nomen reddit amica tuum.

Regibus en præes hoc regali nomine cunctis,
Et meritò; cunctis nam Deus ipſe præeſt.

Muniani
hoſtes ſolo nomine fugat.



HIC ubi disjectos currus, & caſtra relicta
Et montes inter, planitiemque vides,

Regni eſt arcta via; hanc valde vallaverat hoſtis
Præſidiis validis, et meliore viro:

Vix tamen, et lituos audit, vexillaque cernit,
Et Capuam verſus ſuſcipit ipſe fugam.

Mirum! vexilli motus fuit enſis, et horror;
Et litui ſonitus ferrea canna fuit.

Ipſa tibi, Rex, en pugnat Fortuna; tuaſque
Geſtit ovans turmas, & tua ſigna ſequi.

Quos

Digitized by Google

Magdaluni Neapolim, ac Regni possessionẽ recipit.



QUos cernis Proceres mittit tibi, CAROLE, Siren,
Testaturque suam quàm studiosa fidem.
En tibi portarum claves almæ exhibet Urbis;
Exhibet & civis pristina jura sui.
Ut leges servas petit, inviolataque jura
Ut maneant; ullâ non temeranda die.
Annuis ipse libens, dictisque obstringis amicis
Te servaturum tempus in omne fidem.
Felix sorte tuâ, quavis felicior urbe,
Imperio, Siren, nobilitata novo.
Perge ergo, atque tuos modò tu lætabere cives;
Nuncia pergrati Principis atque præi.

Aliud.



QUas proceres Urbis sistunt nũcTu accipe claves,
O quantum affectant Regis adire manus!
Vel mores vertis, vel civica jura refirmas,
Sufficit ut redeat Regis in urbe decus.

Cam-

Aversam venit, ibique consistit.



CArolus Aversam venit; hìc & sistere gressum,
Et tentare hostem protinus ipse jubet.

Parthenopes arces, præclara & mœnia sævus
Hostis habet, turres occupat atque ferox.

Itur in ingentem Urbem, debellantur & arces,
Hostis & immitis protinus arma cadunt.

Non dudum est vicit quòd solo nomine; fata
Non adversa ergo, sed meliora facit.

Urbs adversa aliis tu fato, & nomine: nomen
Sume novum, fatis quod deceatque novis.

Faustaque cum fueris Carolo, felicius omen
Inde sit, & cunctis gentibus, omne tuum.

Sic felix postquam fueris per secula longa,
Te Fortunatam secula longa vocent.

Aliud.



VIx tenet Aversam Carolus, quòd nomina lin- (quit
Urbs aversa sua, & singula cuncta beat.

Protinus en plaudit ſaltans per compita civis,
Plaudit ab axe polus, plaudit ab axe ſolum.

Plaudit ager, flores plaudunt, plauſere per undas,
Najades, & ſylvis plauſit amica Dryas.

Dum plaudunt, & amant omnes, atque omnia rident;
CAROLUS eſt cunctis plauſus, & omnis amor.

Bajarum expugnatio, cæterarumque Civitatis arcium in Martii Plenilunio.



CAmpanæ primùm Bajæ capita alta reſignant,
Deditur arx quinto vix oriente die.

Parthenopes ſequitur, quæ monte aſſurgit in alto,
Arx major: bombo quæ quatiente cadit.

Ceſſit & hinc, regalem quæ prope ſiſtitur aulam,
Caſtri quæve Novi nomina clara tenet.

In triduo tandem arx & Lucullana reponit
Arma libens; dominum ſic venerata novum eſt.

In menſem ceſſere omnes, Phœbemque ſecutæ,
Quæ præluſit opus plena nitore ſui.

Lu-

Lunares æquas curſus, Rex alme, triumphis,
Clarior ut poſthac Sole micare queas.

Urbem Neapolis ingreditur.



INfans ingreditur CAROLUS, lætabere Siren,
Ad te priſcus honos, hoc veniente, venit.

Ingeminent ergo cives de more choreas:
Plaudant ergo arces ignibus, atque ſono.

Sed tamen iſte, tuis intrat qui ſedibus, Infans
Plauſu major erit, major & invidiâ.

Aliud.



QUem cernis populũ,glomeratũ ac undiq;civem
Ne dubita, ipſe tibi gaudia pandit ovans.

Ingredere o Infans CAROLE, hìc majora reponit
Sors tibi: Parthenope ſceptra ſuperba parat.

Ipſa ſuo ut ſurgit plauſu, ſic ſurgat & ingens:
Inde tibi regnum, ſurgat & imperium.

Digitized by Google

DIVO JANUARIO

de peracto itinere gratias agit, eique gemmas sistit, atque largitur.



ACcipe, Dive, precor, tibi quę dat CAROLUS Infans
Munera, tuque libens accipe, Dive, precor:
Nam quæ devotè veniunt à corde fideli,
Hæ tibi debentur relligionis opes.
Prima nec ista Domus mea dat tibi munera; quondam
Ipse tibi Genitor munera sacra tulit.
Accepisti olim facilè tu munera Patris,
Nunc facilè Gnati munera sume, precor.
Sunt hæc, Dive Parens, animi monumenta fidelis,
Quem tibi devotum, sat qnoque monstrat opus.
Munera nam bino, varioque admixta lapillo
Conscia sic voti texuit arte manus:
Ipse fidem utque Adamas, contra signaret amorem,
Qui sedet in medio flammeus ille Lapis.

Auspi-

Digitized by Google

Auſpice te, cœpi longum hoc iter; atque peregi;
Auſpice te, jam nunc horrida bella gero.

Quas tibi nunc grates tanto pro munere reddam,
Quas tibi perſolvam nunc & ab ore preces.

Eja age, munere & hoc, fas ſit mihi ſolvere grates,
Quas ego, quaſve Domus BORBONIANA ſolet.

Olli tunc Divus cœlo ſic orſus ab alto eſt;
Et Patris, atque Tui ſat mihi nota fides:

Proſequere, & cœptum felix Tu perfice bellum;
Regna tibi omnipotens dat ſine fine Deus.

Dixit: & intonuit lævum, ſubitoque fragore
Deſuper incœptis annuit ipſe polus.

Tunc urbs, tunc populus geminant ex ordine plauſus,
Et bombis arces ſigna dedere ſua.

O' nimiùm dilecte Deo, cui deſuper æther;
Orbis & hinc omnis ludit in obſequium.

Aliud.



ACcipe, Dive Parens, cor noſtri Infantis in auro;
Ex auro, & gemmis ſurgat ei imperium.

De-

Digitized by Google

Pecuniam in ipso ingressu spargit in populum.



DEsine Tu gentes inter diffundere nummos,
Projicere argentum parcito Tuque tuum.
Non opus ut portas tibi nunc referentur ab auro;
Dum reserata tibi civica corda patent.
Argento ergo tuo melioribus utere fatis,
Incassum hic, ubi jam pectora vinxit amor.

Bituntina Clades.



HIc ubi nunc Libitina ferox tot corpora volvit,
Pulvere commixto sanguinolenta virûm;
Hìc ubi bellatrix monstrat Bellona triumphos,
Quos de Teutonibus miles Iberus habet,
Bituntum sedet; atque insignia nomina jactat,
Ultra quæ regni non abiere vias,
Nunc super astra volant; totum vulgata per orbem
Sat Bituntinæ nomina cladis erunt.

O quan-

Digitized by Google

O quantùm CAROLO debet, qui morte suorum
Illi dat vitam, & nomina clara facit.

Surge ergo invidiosa tui, urbs caput erige, nomen
A CAROLI gestis indue tuque novum:

Et veteri ejecto Bitunti nomine; dices
BORBONUM nomen clariùs inde tuum.

De Pyramide in loco cladis erecta.



HIC lateri conscripta suo, quæ Pyramis ingens
Surgit, & armigerum tollit ad astra caput,

Quas tulit Hispanus jam nuper ab hoste Sicambro,
Indicat hìc palmas, bella superba notat.

Hìc de Regno pugnatum est; hìc sors quoque fausta
Et virtus CAROLO detulit imperium:

Pyramis hoc & abesse solo, poteratque superbum
Dejicere ipsa caput: Gloria sola canit.

Cajetæ expugnatio.



QUÆ quondam Cajeta oris Æneïa nutrix
Italiæ moriens nomina clara dedit,

Per-

Digitized by Google

Perdiderat decora alta, vorax & ſingula tempus
Inclyta lethæo merſerat acta lacu.

At ſedem alta ſuam poſtquam hìc Bellona paravit,
Nomina præclarè tunc rediere ſua.

Cedere victrices hinc non aſſueverat arces;
Undique bellatrix detulit alta caput.

Vertitur at fatum poſtquam hìc acceſſit Iberus,
Et, CAROLO nuper percutiente, cadit.

Caſus & inde ſuus totum vulgatur in orbem;
Undique fama volans detulit excidium.

Devictæ hinc Urbis fama eſt, & gloria major:
Si numquam caderet, ſurgeret illa minor.

Aliud.



NOn arces Cajeta tuæ, valuere nec artes
Militis, & mirum! nec maris unda tui.

Mutavit Natura vicem: hìc eſtinguitur igne,
Ignem quæ extinguit, fontis, & unda maris.

Fato cede tuo, CAROLO bellante: nec ultra
Tende auſus: fati deſtruit ille vices.

Illam

Capua diù obsessa deditur.



ILlam militibus cingit jam CAROLUS urbem,
  Quam Capys erexit, crevit & armipotens.
Æmula, quæ quondam potuit contendere Romæ
  Terrarum imperium, & gloriæ obesse suæ;
Fortibus haud CAROLI potis est obsistere turmis,
  Servatasque arces reddit amica, diù.
Non urbem terror, diri non fulmina Martis,
  Priscus in Hispanos vicit amicus amor.
Quid mirum, urbs, pavidus fugiens quam clauserat (hostis,
  Nunc reserat portas, læta fovetque suos?

Siciliam petit.



AD Siculas iter oras dum CAROLUS parat, undis
  Sebethus fertur prosiluisse suis.
Quòquò victor abis, Princeps, quò pergere censes,
  Hìc postquam tantæ te tenuere moræ.

Digitized by Google

Nonne vides populi, quo te dilexit, amorem;
Tu modò gentis honos, deliciæque meæ.
Siſte gradus alibi noſtrûm ne gaudia defer;
Perdimus en decus hinc, ſurgit & inde dolor.
Tunc contra Siren: Pater ò Sebethe querelis
Parce tuis, palmas deſine tuque novas
Victori Carolo; tua quæ decora alta fuere,
Addet nam citiùs regna Sicana tibi.
Pergat io, parvâque morâ domet iſte Sicanos:
Hac etiam conſtat gloria noſtra morâ.

Meſſanam ingreditur.



VIctor io propera, noſtris ſuccede triumphans
Ædibus, hìc palmas collige, victor io.
Victor io felix, quas, te veniente, paravit
Arx ingens, palmas collige, victor io.
Hæc tibi nunc Meſſana parat, majora rependat
Sors tibi, jam fatis officioſa tuis.

Arx

Digitized by Google

Messanæ arx deditur.



ARX Messanæ ingens, toto jam clarior ævo,
Nomine quæ parvo grandia facta canit:
Ut CAROLUM sentit primùm adventare Sicanos,
Dejicit alta caput, reddere signa parat.

Quæ potuit nullo unquam debellarier hoste,
Nunc CAROLO turres reddit, & arma sacrat.

Scilicet, hæc noscens suum ineluctabile fatum,
Victorem palmis ingeniosa præit.

Aliud.



VIctrices arces quis te Messana coëgit
Dedere, quis portas & reserare tuas.

Armis tuque potes bellare potentibus, hostes
Arcere a muris longiùs atque potes.

Extollis cur signa ergo albescentia ab arce,
Et CAROLO plaudens adveniente cadis.

Nempe olim Domino, postquam cognoscis & ipsum,
Restituis turres obsequiosa, tuo?

Syracusæ cadunt.



ARma Syracusæ postquam Mavortis Iberi
Noscunt, & muros obsidione premi.

Vitra, Syracosii nostri instrumenta magistri,
Ferte citò, clamant, sole oriente novo.

His opus est armis, Dionysj & fraudibus; hostes
Ut procul avertant mœnibus, atque mari.

Sed contra fatum: Dionysii ut arma tyranni,
Contra & Romanos ut valuere vitra;

Sic etiam modò sunt CAROLO bellante: quid ergo!
Ultro victori cedite signa Viro.

Aliud.



QUÆ valuere olim Grajis obsistere turmis,
Arma Syracusas deposuisse vides.

Grajas perge plagas modò tu, Rex inclyte, victis
Namque Syracusis, Græcia victa manet.

Illius

Digitized by Google

Panormi coronatur.



ILlius ex auro cinguntur tempora ſertis,
Longâ qui muros obſidione capit.

Ex auro ſertis etiam frons cingitur illi,
Hoſtem cui caſtris vincere poſſe datur.

Ergo nil mirum, nunc Tu ſi cingeris auro;
Omnem ſi palmam victor ab hoſte refers.

Drepanum deditur.



HIC ubi pars pelagi Siculi curvatur in arcum
Stat Drepani ſedes, milite tuta ſuo.

Regia ſed poſtquam cinguntur tempora ſerto,
Ultima victorem eſt hæc venerata ſuum.

Si quæris cauſas: Obſtare potentibus armis
Ulterius, furor eſt, ſtultitiamque ſapit.



Aurea

Digitized by Google

Neapolim redit, triumphat.



AUrea victrices postquam cinxere Panormi
Serta comas CAROLO, non peritura diù.
En Siren majora parat: Victricia lauro,
Hìc venit ut Princeps, tempora cingit ovans:
Nam viridi æternâ laurus, quæ fronde virescit,
Æternùm potis est condecorare duces:
Ut Phœbo doctam meruit præcingere frontem,
Sic quoque bellantum cingit amica comas.
Jure coronantur victricia tempora lauro,
Vivat Apollineo in germine Martis honos.
Non opus hìc lauro, CAROLI quæ gesta perennet;
Ipse sibi æternus namque triumphus erit.

Aliud.



SI credis CAROLUM se nunc ornare triumphis,
Falleris: est palmis gloria adaucta suis.
Hæc gestis ornata novis, fastisque superba,
E CAROLI palmis fausta triumphat, ovat.

CA-

Digitized by Google

Carolus ãt contra, dum gloria læta triumphat,
Lætior ex illâ clara trophæa refert.

Arces reficit.



ARces, quas bello Martis dejecerat ignis,
En reficit Princeps, undique castra novat.
Maxima sunt etiam sua nunc in pace trophæa,
Quod delet Mavors, ipse reponit opus.

Novum numisma cudit.



ARdet in hoc nummo scintillans igne Vesevus,
Sebethusque jubet currere blandus aquas.
In promptu causa est, quâ argento cuditur albo:
Principis ingenium, quo nitet, ipse notat.
Ignis, & unda hinc, hinc argenti pura metalla,
Imperium Caroli quàm speciosa canunt.
Hostes igne fugat, sed aquâ dominabitur orbem;
Attamen argento munus utrumque fovet.

For-

Digitized by Google

Aliud.



FOrtunate Senex claris tu clarior undis,
De Socio Princeps si modò factus abis.

Quas tibi jamque dabat victrix Hispania leges,
Subjectis populis victor ubique dabis.

Omnia ut hæc noscant gentes, populique futuri;
Cuditur argento lucida imago tui.

De Regia Venatione.



HIC ubi frōdescit nemus,& vaga mœnia circùm
Perstringunt silvam, quæ speciosa fuit.

En Caroli surgit nova nunc venatio Regis,
Inclyta quâ Siren valde superba nitet.

Huc cives currunt, huc gens, populique stupescunt;
Undique & hìc plaudunt dum nova rura vident.

Nempe novam silvæ potuit qui reddere formam,
Priscum Urbi credunt reddere posse decus.

Hìc

De Animalibus ibidem inclusis.



HIC leo, cervus & hìc se inter famulantur, &
Hìc lepus horrendas gestit adire feras. (omnis
Hìc feræ amant aliæ, ludunt, saltantque vireta;
Amplius haud horrent, nec feritate nocent.
Ne mirere nova hæc miracula: Bellua quævis
Hìc domini mores est imitata sui.

Ad Montis Caput.



HIC ubi monte super regalem Carolus aulam,
Sumptibus immodicis, ponit ad astra novam.
En modò mole suâ Mons ipse superbit, & omnes
Jam famâ montes, atque decore præit:
Extollunt namque illi excelsa cacumina saxis,
Aulâ regali tollit at iste caput.
Horror ibi, atque feræ posuere cubilia, contra
Hunc proceres optant condecorare morâ.
Hunc Pindo montem; si Phœbus conferat, omnes
Parthenope musas cedere jure jubet.

E Sola

In Aulam, quæ ad Montis Caput erigitur.

SOla ſuper montem, nova jam caput erigit Aula,
A domino quæ deinc eſt habitanda ſuo.
Hunc dominum quem ne eſſe putas? hic CAROLUS eſt, qui
Italiæ leges, & nova jura dedit.
Surgit in immenſum, fert ut ſuper aſtra cacumen,
Sic etiam domini nomen ad aſtra ferat.

In Aulam, & Nemus.

HInc domus, hinc nemus eſt, & jure ſuperbit utrũque
Sunt enim amor domini, deliciæque ſui.

*Mortuorum familiis ſub Epuli * ruinis ſtipendia largitur.*

DAt populo Siren Epulum, celebretur ut amplè
Principis adventus, lætior atque foret.
Aſt

* *vulgò* Coccagna.

Aſt homines miſerè, tabulæque dedere ruinam,
Omnia mors miſcet, brachia, & oſſa terens.

Sed Caroli pietas miſeris ſtipendia donans,
Quæ mala mors tulerat, fauſta repente facit.

Sic pietas valuit fatum mutare malignum;
Inque pias vertit ſe Libitina vices.

O Victor nimiùm felix, nimiùmque ſuperbe,
Vertitur arbitrio ſi Libitina tuo.

Lyceum Neapolitanum militaribus præſidiis deſtinatum ad priſtinam formam reſtituit.



QUÆ ſacris Reges olim poſuere Camœnis,
Impius hìc miles magna Lycea tenet.

Proh ſcelus, ò facinus! Muſis quantum attulit almis
Dedecus, & Phœbo militis illa mora.

O quantùm Carolo debent, qui milite pulſo,
Hìc revocat muſas, reſtituitque locum.

Undique ſi Carolum cantant, dicuntque trophæa;
Nil mirum, grates reddere poſſe putant.

Theatrum erigit.



ERigit inde novum majori mole Theatrum,
Nobilius ſcenis, nobiliuſque jocis:
Indicat Heorumque vices, & geſta; vetuſtæ
Pandit virtutis, quodque imitemur, iter.
*Arte hìc Æolidæ Scyrum, & muliebria linquens
Belliger Æacides rurſus in arma ruit.
*Ælis habet feſtum, Graji ſua Olimpia; ludis
Victor Olimpiacis Licida fortis ovat:
*Alceſtis virtus veſtem hìc dimittit agreſtem;
Phœniciique fide regna paterna capit.
Hìc iterum veteres renovat jam Græcia mores;
Quam primùm renovat Roma ſuperba ſuos.
Hinc dum virtutes nos, *pacato orbe*, docemus;
Non ergo oblectant, noſtra Theatra docent.



DUM

* L'Achille in Sciro.
* L'Olimpiade.
* Il Demetrio: *comœdiæ præclari Petri Mataſtaſii in Theatro primùm peractæ.*

Palmis, in memorato Siciliæ itinere, Bubulci filium de sacro fonte suscipit.



DUM Rex expectat Palmis placentur ut undæ
 Messani pelagi, quas ferus Auster habet.
Venatum pergit, curas ut mulceat atras,
 Mulceat & longum, quod peragebat, iter.
Protinus at nimbus surgit, gravis occupat æthram,
 Et pluviæ ingentes incubuere solo.
Pauperis excipiunt Regem tunc tecta Bubulci,
 Cujus & hìc uxor jam paritura dolet.
Ut Regem videt, exonerat se infante puello;
 Cessat & inde dolor, læta repente parit.
Lætitia, & pietas animum incessere libenter
 Tunc CAROLI, & puerum suscipit in sobolem.
Et matri, atque patri, natoque stipendia donans,
 Ingens, magnanimus, clarior atque micat.
Felix sorte puer, sed Tu felicior illo
 CAROLE, dum splendes Magnus ubique loci.


Sit

Digitized by Google

Lectori.



SIt quamquã hìc finis libro;gesta haud tamen alta
Finem hìc Regis habent: Sunt speciosa magis,
Quæ remanent; & quæ musis præludere tempus
Jam vetat, hæc ò quàm valde superba nitent.
At quamquam non scripta manent; haud sors tamen illa
Obruet, & lethi merget iniqua lacu.
Gloria, quæ tanto est Heroe superbior, ipsa
Quàm mage Pieridi regia gesta canet.
Nunc patere, ut meliùs potui, scripsisse libellum;
Sique est Regi impar; qui sapis adde parem.



Arma

Digitized by Google

HEROES

Militari laude illustriores

LIBER SECUNDUS,

ILLUSTRISS., ET EXCELLENTISS. DOMINO

D. EMMANUELI BORBONIO DUCI DE CHIARNIO

DICTUS.

Eidem libri inscriptio.

ARma damus, quibus arma favent: Tibi sistimus (ergo,
Hunc Heroas qui tractat, & arma librũ.
Tu belli armipotens Præses, super omnibus unus;
Cui plaudunt turmæ, Martis & omne decus.
Cui pedites, equites certant præludere gestis,
Queis tuo & imperio subdere colla placet.
"Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Sint ne accepta animo carmina nostra tuo;
Non etenim Phœbo gaudent certamina Martis,
Nec bene respondet Castalis aura tubæ.
Sed tua me rapuit facilis clementia flecti
Obsequio, & vires suscitat ipsa meas.

Jure

Jure ergo gemino tibi ſiſtitur iſte libellus,
Quòd ſplendes armis, quòd bonitate nites.

Accipe, & exiguum liber hic ſit pignus amoris,
Et tibi quamquam impar, tu tibi redde parem.

Ejuſdem Nomen, & Effigies.



QUiſne tibi, Emmanuel, poſuit tàm nobile nomẽ,
Quo pace, & bello ſplendidus irradias?

Militibus bello, populis vel pace ſuperſtes;
Seù lac, ſeù mel tu ſemper in ore refers.

Quid mirum, ſi tot ſubeunt tua limina gentes;
Lacte hæ paſcuntur, melle & ab ore tuo.

Eidem Regni olim Moderatori.



POſt rectos belli faſces, Martiſque cohortes,
Noſtræ hic Parthenopes mœnia vaſta regit.

Bellonæ ſuperaſſe vices, haud maximus eſſet,
Palladis & doctæ ni ſuperaſſet opus.

Quem Bellona ferox, Pallas nec terruit ingens,
Major Ariſtide, major hic Annibale eſt.

Alma

*Lælius Carafa Argentii Marchio, * Celerum Excubiarum Magister.*



ALma Fides, Læli, tibi custodire dat ipsum
Regem, & continuò corpori adesse suo.

Concelebret pietas alios, probitasque, decusque;
Ostentant alii stemmata clara patrum.

Alma Fides te sola canat, teque esse fidelem
Parthenopes nostræ gloria prima fuit.

Ut fidei virtutes omnes, sic tibi cedunt,
Sintque fide clari, vel probitate viri.

Discite mortales animum servare fidelem;
Sic vos præ cunctis præcinet alma Fides.

Colubrani Princeps Excubiarum Italianarum Præfectus.



VIdimus hunc cives armasse in prælia primum;
Et regni segnes exacuisse viros.

F Et

* *Celeres dicebantur milites tercenti a Romulo adsui corporis custodiam adhibiti, a Celere Remi interfectore dicti. Johan. Vin. Grav. de orig. jur. lib. 1. num. 2.*

Et CAROLI meruit primos hic primus honores;
Hinc BORBONA illi est prima dicata phalanx.

Felix forte suâ, felix suus est quoque miles,
Diligitur tanto à Principe quique suo.

Quantum illi debet Siren, Bellonaque quantum
Debet, militibus jam decorata suis.

Hinc ingens adeo surgat sua gloria Cœlo,
Quantum Parthenope detulit ille decus.

Eidem aliud de suis libris poëticis.



TU.decus Aönidum, nostri tu gaudia Phœbi,
Palladis & sævæ gloria, Martis honos.

Si decus est Musis, tua sunt Capraria, Etruscæ
Addunt quæ doctæ carmina docta lyræ.

Si Marti decus est, tua sunt decora alta Gradivo,
Ad Siculas oras gesta superba nimis.

Quid mirum Musæ veniunt in fœdera Marti?
Sunt strepitu armorum plectra sonora magis.



Ut

Johannes Comes Marsiliach Generalis armorum Ex-locumtenens.



BRachia, quæ bello quondam Mars ipse pavebat,
Incisis manibus, non magis apta putas.

Falleris? ecce suum fert quàm bene læva galerum,
Indomitos & equos quàm bene dextra regit.

Si gladio pugnare nequit, felix tamen, atque.
Promptior indomitis quàm bene pugnat equis.

Prodigium mirare novum: Sine cuspide pugnat,
Et satis ad palmam est, si regat imperio.

Aliud.



GRæcia, Joännes, doctum producat Homerum,
Carmine Grajorum qui canat acta suo.

Mantua divinum generet, doctumque Maronem,
Ad Troum laudes qui sua plectra movet.

Et Gotfrido det Torquatum Etruria, ad astra
Qui sua pro Christo grandia facta ferat.

Heroas celebrant alios lituique, turbæque,
At te Joännes, vulnera sola canant.

Nicolaus Sangrus
Generalis armorum Locumtenens,
Militaris Junctæ Consiliarius.



„POst varios casus, post tot discrimina rerum,
Inclyte Sangriade, patria tecta beas.

Teque, fidemque tuam est mirata Hispania dudum,
Miratus nostri est Regis & ipse Pater.

Teque, fidemqne tuam videt at nunc patria Siren,
Et propius noster CAROLUS ipse videt.

Tu Nati, tu Patris amor; tu gentis Iberæ,
Parthænopesque tuæ quàm mage, charus honos.

Hinc fidei commissa tuæ stat maxima Regni
Arx Capuæ; estque tuâ jure superba fide.

At non sola Fides, miratur te quoque Pallas,
Dum mentem ista tuam, consiliumque stupet.

Militibus quæ pœnam infert, vel præmia solvit,
Quin meritò belli te gravis aula tenet.

Jure ergo, geminæ certant dum plaudere Divæ,
Ingeminat laudes Musa venusta tuas.

Bella

Equites.
Comes Magonius Equitum Inspector.



BElla gerant alii, tibi equos componere Magon,
Sessoresque suos, vel reprobare datum est.
Hæc tua laus ergo; Martis quòd fulmina primus,
Prælia bellantum vel metuenda vides.
Jure tibi plaudant turmæ; primordia belli
Quòd regere auspiciis, imperioque vales.

Castri Pignani Dux Equitum Magister.



CAstra sequens miles mentĕq;animumq;virilem
Induit, auspicio nominis ipse tui.
Ista tibi Bellona dedit decora inclyta; ab ipso
Nomine fama loquax nam tua gesta canit.



Men-

Mentem ſed firmam,atque animum ſervare fidelem,
Hiſque præeſſe aliis, hæc dedit alma Fides.

Tuque Fide, & Bellonâ ingens nunc ſuſcipe laurum,
Quâ tibi devotè nectit Apollo comas:

Et Fidei, & Bellonæ, Phœbum adjunge; tuumque,
Clarius è Phœbi limine lumen erit.

Equitum Præfecti.
Sancti Boni Princeps.



UT gemmas inter ſplendore coruſcat Iäſpis,
Heroes inter ſic tua fama nitet.

Et decet, ut Gens, quæ populos jam rexerat Indos
Clarior e cunctis currat in ore virùm.

Te jubet armatos inter ſplendeſcere Mavors,
Clarior unde phalanx emicat ipſa tua.

Cum te fama tui cantet, tua gloria prima eſt,
Quæ nobis tanto e nomine fama venit.



Hi-

Digitized by Google

Rusciliona Legio.



HIspanis eques hic nuper devectus ab oris
Quantum armis valeat denotat ore fero.

Multum oris patriis, Arabum sed plurima debet;
Nam dat clara illi nomina, victus Arabs.

Clara ergo præbent equiti dum nomina Mauri;
Italus, & Siren splendidiora parant.

Hostibus hic victis, debellatisque Sicambris,
Majori nomen majus ab hoste ferat.

Torellæ Princeps.



ARma tibi Mavors, quibus es super omnibus in-
Eloquium contra Mercuriusque dedit. (gens,

Hinc te Parthenope fortem putat esse Gradivum,
Hinc te Majugenam Gallia docta putat.

Virtutem Carolo cum nunc addicis utramque;
Præ cunctis Carolo tu mage charus eris.

In-

Pedites.
Eques Espinosa Inspector.



INspicit hic peditum turmas, numeratq;cohortes,
Militis in libris nomen & omne notat.

Virtutem cujusque probat, vel robora primus;
Nec servit Marti, Marte negante suo.

Illi ergo stat summa rei, stat militis omen;
Principium belli, sors & iniqua capit.

Burgundia Legio.



QUisquis es,hanc peditum fortem qui dirigis alã,
Nomine qui quamquã non mihi notus adhuc;

Insignes homines tibi cum Burgundia credat,
Insignem quoque te denotat esse virum.

Clara sat Hispanis hoc est de milite fama,
Et Lotharæ genti sat quoque clara fuit.

Non opus est dictis, virtus ubi fulget in ore
Militum; & urget ubi in pectore Gentis honos.

Quæ

Neapolitani Peditum Præfecti.
Villæ Fortis Marchio
Borboniæ legionis Præfectus



QUæ moriens Marani Heros demiſerat arma,
Villæ Fortis Dux occupat, atque præeſt.
Quæ fortis rutilat præſtanti in pectore virtus?
Forti quiſne animo ſpiritus intus alit?
Dixiſſes è Cœlo ipſum huc veniſſe Gradivum,
Dixiſſes illuc ſe retuliſſe virum.
Cumque tamen ſit, bella hic quamvis horrida bella
Inferat, hic pacem ſed tamen ore refert.
Sis ergo belli, ſis tu vel pacis imago,
Et pace, & bello parta trophæa refers.

Paulus Marcheſius.
Regiæ Neapolitanę legionis Præfectus,
Marcheſiæ olim dictæ.



QUI ſim forte rogas? nulli ſum laude ſecundus;
Quodve agmen duco, me duce, nomen habet.

G Si

Si quæris genus illustri sum sanguine natus;
Undique splendescit fama superba domus:

Et virtute potens, & gente, & sanguine Clarus;
Hoc decus, has laudes fama sonora canat.

Didacus Prichard
Regiæ Italianæ legionis Præfectus,
quæ antea Exterorum dicebatur.



O' quantum Marti, quantum Mars debet & illi,
Milite qui vario bella movere docet:

Æmula nam virtus socios accenditur inter
Bellantes, quos tunc inflat honoris amor.

Ergo jure suam facit hic, completque cohortem,
Germanis, Svevis, Italicisque viris.

Ad Antonium authoris fratrem
in hac legione Centurionem.



NON locus iste tibi, tibi nec pars ulla libelli
Convenit, Heroas tantum habet iste liber.

Quæ

Digitized by Google

Quæ tamen iſta fuit ſors, quæ tibi ducere vitam
Hanc jubet, & voluit bella cruenta ſequi.

Me vocat ad plauſus, &, te tua fata ſequente;
Quæ tibi bellando, ſunt peragenda canit.

Tu virtutis iter, ſummâ quæ ſiſtitur arce;
Incipis, & Martis dira lycea vides.

Semita dura quidem, aſpectu quæ territat ipſo,
Hinc mors, inde fides, imperiumque ducum.

Non te mors fera, non belli te terreat unquam,
Tædet in immenſum qui gravitate, labor.

Inclyta quæ cauſis ex iſtis gloria ſurgit,
Et decus, & vitam, tempus in omne, fovet.

Una tibi ſervanda fides, parendaque ſemper
Imperia illius, cui ſupereſſe datum eſt.

Cum primùm Capuæ tu diſceſſurus in urbem,
Hæc pater, hæc etiam frater & ipſe monet.

Hæc peragenda ergo, quæ poſtquam implebis, habeto
Spem quandam in libris obtinuiſſe locum.

Nò Legio.



SEdem hanc quòd teneas, ne tu mirabere miles,
Nomina, quæ deſers, cauſa fuere moræ.

Si vel Nò, an fueris, dubium ſuſpendere noſtrum
  Carmen adhuc valuit, detinuitque lyram.

Cum fueris tamen, & tibi ſint Nò nomina, nomen
  Verte tuum, officio quod deceatque tuo.

Et cum bellari tua ſit laus; quàm bene contra
  Te bellacem in Si nomina verſa docent.

Siculi Peditum Præfecti.
Princeps Teleſiæ
Reginæ legionis Præfectus,

quæ jam Sicilia dicta eſt.



NOmine qui telum ſervat, Sicania quondam
  Quos tulit armatos, en regit iſte viros.

Dicere quantum armis,quantum conſurgat in hoſtes
  Nitimur incaſſum, nomina ſola canunt.

Nobilitas ipſum docet alto e ſanguine natum,
  Et proceres inter ſurgit origo ſui.

Quæ laus his major? laus eſt Teleſius Heros
  Ipſe ſibi; nitet hæc maxima, & apta placet.



Ut

Princeps Villæ Franchæ Panormitanæ legionis Præfectus.



UT plaudunt homines,& quę dedit arma Panor-
Fauſtiùs ut ludunt undiq;nonne vides? (mus

Unde venit plauſus! quò nunc ſua gaudia ſurgunt;
Sub tanto exultant Principe, læta fremunt:

Recreat ore ſuos, oculis dum territat hoſtes,
Hic Phœbum, hic Martem pulchrior ore refert.

Illi ergo Mavors vires in pectore firmet;
Et lauro illuſtres cingat Apollo comas.

Farneſia legio, ejuſque Præfectus Dux Robottonius.



FAlleris! an Martem demiſſum ex æthere cenſes
Belligeros inter bella ciere ſuos.

Illi ſic oculi, ac animi vigor, & fera quondam
Brachia ſic illi, ſicque fuere genæ.

Sic quoque miles erat, quo triſtia bella gerebat,
Fortis, & impavidus, vel furibundus erat.

Fa-

Digitized by Google

Fabula ſed mendax tantum hoc ſibi diffidet: olim
Quæ cecinit veri neſcia, vera videt.

Claſſis Maritima.



CErnitis ut placido ludunt in litore puppes,
Oceanique optant ire, redire vias.

Has olim totum ſecuiſſe quis ambiget æquor,
Indos, atque Afros vel domuiſſe neget.

Parva quidem bello manus eſt,ſed quę tamen hoſtem
Robore, non numero dejicere apta ſuum eſt.

Militat at quotiens aliis in fœdere juncta;
Principis auſpiciis militat ipſa ſui.

Michaël Regius Preſidens.



TU præes ò Michael luctanti in marmore claſſi,
Bella gerens ventis, Auſtro agitante mare,

Seu ventis, ſeu hoſti, ſeu tu luctantibus undis
Bella infers, victor ſemper ab hoſte redis.

Quiſque ergo de te plaudat, dicatque canendo:
O' felix triplici victor ab hoſte fero!

Plane

Marcus Planus Claſſis Commiſſarius.



PLane, tibi claſſis commiſſa negotia ſunto :
Rex inquit CAROLUS, quàm bene, Plane, tibi.

Plana tibi ut facies eſt, ſic quoque plena coruſcant
Facta tui, queis quàm bene cuncta regis.

Ut maris irati valeas pacare procellas,
Eſt tibi cor planum, plana quoque & facies.

Emmanuel Valla Computator.



COmputat iſte viros, bello qui in marmore cer-
Et temnunt undas, Marte furente, maris. (tant.

In votis tamen eſt, non percenſere triumphos,
Emmanuel, palmas nec numerare tuas.

Nam quot bellantes numeras, tot parta trophæa
Sunt tua; ſic laudes tot numerantis erunt.

Tu

Digitized by Google

Antonius Lavianus, Dux Satriani Auditor.



TUrmarum Laviane libens tu jurgia ſentis,
Militis, & ſtatuis debita jura tui.

Per te Mavorti juncta eſt in fœdera pacis
Alma Themis; ſic tu numen utrumque refers.

Quo ruit in pelago claſſis, vel miles amicus,
Pacificum celebrent te, Themidique ſacrum.

Antonius Zelaja tum primæ triremis Imperator, tum Militaris Junctæ Conſiliarius.



QUI regit in pelago claſſem,primamq; triremem,
Martis habet vultus,lumina Martis habet,

Uno diſſimilis: Mars omni tempore ſævit,
Hic furit in bello, conſiliiſque placet.

Seù

Pascalis Borras
Navis Sancti Philippi Imperator.



SEù libet occidui tibi visere litora ponti,
Seù libet eoæ visere regna plagæ.

Hoc duce, Navis erit satis hæc, quæ sola pererrat
Oceanum; ventos noscit, & astra notat.

Amplius Argolicam jactet ne Græcia puppim;
Argon namque suam Borrus Iberus habet.

Johannes Baptista Danerus
T*ormentorum Bellicorum Magister.*



TU torměta probas, Martis quid grando, globusq;
Noscere quid valeat Martia canna tuum est.

Ut pyrio commixto hæc accenduntur, & ardent
Pulvere, sic virtus splendet honore tui.

Joseph Espulga
Officialis Major vulgò Sargente Maggiore.



QUalis es, & quantus, Joseph, non dicimus ipsi,
Te celebret magnum, quod geris officium.

Turmæ quòd mundæ sint,faciantq;quod æquum est,
Atque suum miles quòd bene munus agat.
Assurgis cunctis dum munere; sic quoque cunctis,
Par tibi, nulli impar, dum praees, ipse praeis.

Michael Gravina
Triremis vulgò la Padrona *Imperator.*



HÆC Domina est, ratibusque aliis dominatur in
Ludit Gravinâ principe læta suo. (undis,
Et meritò: ventis potuit qui obsistere, & undis;
Jure sibi imperium vindicat ipse maris.

Johannes Comes Firlingerius
Triremis Sancti Januarii Imperator.



ALtera, quam cernis, nostro quę recta Joãnne est,
Non minor est aliis, temnit ubique Notos.
Utque agiles aliæ, sunt & gravitate decoræ,
Sic capite hæc etiam stat speciosa suo.

Quam

Digitized by Google

Nicolaus Zelaja Triremis Sancti Antonii Imperator.



QUam pelagi vada salsa vides sulcare triremis
Ultima, postremum non tenet illa locum.
Incolumis potis est, capite imperante Zelajâ,
Oceani immensas ire, redire vias.
Heroas quondam quòd duxerit intumet Argo;
Hæc autem Heroe est jure superba duce.

Americha Legio.



QUeis peditum turmis nomen dedit ultimus Orbis,
Postremas sedes hìc quo q;jure damus.
Non quòd bellando postremus in ordine miles,
Sed quòd bellando primus ab arce tonet.
I America novis nunc tu decorata triumphis;
Milite pergandi, grandior iste decet.



Lectori.



MUsa triumphali satis arma, & bellica signa
Carmine, & Heroas sit cecinisse satis.
Singula bellantum nam quis præludere posset
Gesta, vel armorum quis numerare vices?
Non vacat, ad plectrum lituos revocare, breviq ue
Tantorum amplecti carmine bella virùm.
Tempus erit; Mavors positis cum belliger armis,
Non renuet facili tangere plectra manu.
Tempus erit, vindex legum cum Astræa silebit,
Et neget occluso reddere jura foro.
Armorum strepitus cessabunt, dira quiescent
Jurgia; ducentur, pace favente, dies.
(Horret ut armorum strepitus, sic musa forenses
Horret in immensum, quæ sine pace, domos)
Tunc paci redit alma quies, pax alma quieti,
Castalis ad numeros tunc quoque musa redit;
Et Pindum gradiens bella, Heroasque sequentes,
Astræâ hinc, hinc & Marte favente, canet.
Juncta togis saga tunc quoq;cernes; atque Minervæ
Ornabit laurus tunc, & oliva comas.
Tunc turmas, aliosque viros narrabimus omnes,
Singula tunc, Lector, senseris acta ducum.

Hos

Digitized by Google

HEROES

Consiliis, & Civili laude illustriores.

LIBER TERTIUS

ILLUSTRISS., ET EXCELLENT. DOMINO MARCHIONI DE SALAS

D. JOACHIM DE MONTE ALLEGRO

DICATUS.

Eidem libri inscriptio.

HOS tibi consiliis claros, & mente potentes,
Delectos totâ sistimus Urbe Duces.

Tu sacer addictus belli, regnique libellis;
Quàm bene utrumque sacrum conficis officium.

En tibi jam Pallas regni penetralia pandit,
Pandit & en Mavors militis omne genus.

Qui bellum,pacemque probant tibi sistimus; horum
Nam tu jura tenes, imperiumque probas.

Quisquis ab extremis nostras accedit ad oras
Finibus, ignotum noscere litus amans:

Non ipsum populi numerosa frequentia, & Urbis
Nobilitas titulo, & sanguine clara movent;

Quin

Digitized by Google

Quin potius doctâ, ac tantâ tui imagine captus,
Incertam de te mentem, animumque tenet.

Non renuit noster, vel nostro dissitus Orbis,
Te, tacito obtutu, dicere Prodigium.

Ejusdem Effigies,



ILle ego sum bellique sacer, pacisque Minister,
Imperium fato prosperiore regens.

Cernis ut exanimes vivant in imagine vultus;
Ignotusque animi rideat ore color.

Ementita vides, quamvis imitantia verum,
Ora, & ab artifici vix imitanda manu:

Augustum si quid vibrant; has poscit imago
Emeritas laudes, lumen, & umbra mei?

Aliud.



QUem cernis sacer est regni, statusque Minister,
Sanctiùs in sacro pectore sacra tenens.

Effi-

Effigies quoque ſacra patet, veneranda refulget;
Quantum, & quale ſacrum ſpiret ab ore vides?

Undique ſi ſacrum ſpirat, qui deinde ſequuntur
Sacri ſunt, ſacrum condecorantque caput.

Hos homines; uti jure ſacros, veneraberis ergo
In numero paucos: ſunt quoque pauca ſacra.

Dux Laurentanæ.



GEntis es ipſe tuæ tu ſplendor, tu decus ingens
Principis, & noſtræ gloria Parthenopes.

Concilia ad ſua te CAROLUS vocat intima regni,
Et jubet ut primus ſit tibi ſedis honos.

Teque domumq; tuam quamvis canat undiq; virtus,
Attamen iſta tuæ ſunt decora alta domus.

O' CAROLO dilecte nimis, tibi regia plaudat
Aula, e conſiliis ſat decorata tuis.

Conſiliis decorata tuis dum regia plaudit
Aula tibi, palmas explicat illa tuas.

Hinc te dum decorat CAROLUS, dum plaudit & aula,
Illis tu nimio plaude decore tuo.

Fa-

Digitized by Google

Eidem aliud,
Pro suis libris, scriptisque de moribus.



FAtidicos sileant monitus ab Apolline Delphi;
Nec foliis jactet docta Sibylla suos.

Majores servat Siren monitusque, librosque,
Queis juvenis mores composuisse valet.

Seu quæ scripsisti tu docte Nepotibus Heros;
Sive Equiti relegat, quæ peragenda mones.

Vera doces: Orbi donec tua scripta manebunt,
Sunt vitia a monitis fœda subacta tuis.

His ergo cedant omnes, & fama loquatur
Binos pro cunctis ingeniosa libros.

Marchio Hieracis.



TU quoque consiliis ades o Dux inclyte, gentis,
Et Siculi regni jura tuenda sedes.

Tu gentis decus omne tuæ; te Præside namque
Servantur populis integra jura tuis.

Her-

Hermetem tu voce refers ; tu Pallada mente ;
Delficus & ſacro pectore Phœbus ineſt .

Hinc auguſta ſuos inter bene curia patres
Te retulit : triplici ab numine nempè nites .

Dux Juvenacii.



SI faciem ſpectes ; quæ ſit ſapientia menti ;
Quanta Themis cordi , prorſus ab ore , vides.

Si ſpectes genus : hujus ab alto ſanguine dudum
Dignior illuxit nobilitatis honos .

Moribus hinc ingens eſt , eſt & ſanguine clarus ,
Moribus & multum , & nobilitate valet .

Rectè ergo poſtquam prætoris rexerat aulas ,
Conſilium hunc regni , hunc Regis & aula tenet.

Jam potuit ſontes variis arcere flagellis ;
Reddere jam potuit jura cuique ſua .

Nunc ſedet a Regis dextrâ , regnumque miniſtrat,
Civibus & factis , nominibuſque Juvat .

Vatis hæsitatio.



QUem primũ nunc Musa virũ,tu quemne secũdũ
Narrabis?plectro quem dabis inde modum?
Sunt etenim virtute pares, similesque sequentes
Heroes, alio nec minor ullus erit.
Ergo quisne tenor servabitur? inter ut illos
Gloria sit parilis, dissona nec methodus?
Musa sile precor: haud noscis te lædere laudes;
Virtutesque virûm, quos placet inde loqui:
Heroum haud animos inimica superbia turbat;
Sint-ne loco primi turpè nec inflat honos.
Quem vis tu loquere ergo? tua & sit libera chorda,
Qui venit in mentem scribe canora virum.
Ordo nullus erit, sic tunc servabitur ordo;
Ordine & a nullo sumat hic ordo modum.

Corsinus Princeps.



QUem populi expectant Siculi,& fecunda Pelori
Regna vocant Siren invidet, Ætna, tibi.
Illius

Digitized by Google

Illius arbitrio, Regis ſunt credita jura,
  Qui valet, Aſtrææ, regna levare, manu.

Æmula Parthenope ſorti non invidet almæ,
  Tantum quâ fruitur, vel tenet Ætna Ducem,

Tempus erit, faveant votis ſic Numina, quando
  Clarior huc rediens noſtra beare queat.

Tunc equidem invidiam Siren, vota ipſaq;vincet;
  Viſa ſuâ quòd ſit non minor invidiâ.

Interea obſequia hæc ò Princeps optime noſtra
  Suſcipe; quæque & ſint officioſa fove.

Dux Soræ.



Hiſpani poſtquam fueris tu Regis in aula
  Orator, Gnati non negat aula locum.

Præficeris ſponſæ leges juſſurus in aula;
  Quæ fidei ingenuæ eſt credita jure tuæ.

Carpe gradus meritos; & geſta per inclyta ſedem
  Imple te dignam, quam dat amicus honor.

Digitized by Google

Aliud.



CUM te Pathenope CAROLUS procul esse juberet,
Nuncius Hispanas & petis inde plagas.
Fama tui toto tunc fit præclarior orbi,
Atque tuæ gentis quam mage crevit honos.
Quam renuit laudem mora, dat tibi motus ab urbe,
Fitque tuo à motu gens tua clara magis.
Sic est: nulla quies decus affert; inclyta virtus,
Gloria & a motu fertur habere diem.

Princeps Calverusius.



EST virtus animi huic, est & præstantia formæ;
Quàm bene majestas frontis utramque regit.
Qui vigor ingenio est, menti vel quanta potestas,
Tanta nitet fronti gratia, tanta genis.
Quò graditur jam visus amor præludere cursu,
Præclarumq; pedem pone Minerva subit.

Sur-

Surge ergo generofe heros, da fiftere plectro;
Plaudit in immenfum frons, animufq; tuus.

Hyeronimus Columna.



HEroes Aquila illuftres oftentat, & Urfus
Impavidos, vigiles denotet atque Leo.

Agnus habet mites, prudentes indicet Anguis,
Et fera quæq; fagax, nobile quodque notet.

Hinc lapides etiam certent aut dicere laudes,
Virtutefque virûm, aut gefta fuperba ducum.

Sic Adamas fidos, rubicunda Coralia amantes,
Sic quoque conftantes indus Jäfpis habet.

Tandem alios cantent aliarum infignia rerum;
Quæ fortes monftrat, fola Columna tua eft.

Jofeph Pappacoda.



SEmita virtutis longa eft, ac invia genti;
Longo nec laudes abfque labore parit.

Sed tibi funt faciles contra virtutis honores;
Ingenio affequeris munus & omne tuo.

Tu

Digitized by Google

Tu quoque Regalis Sponsæ præponeris aulæ;
Virtus ergò tua est, intemerata fides.

Marchio Soleræ
Comitis Sancti Stephani filius.



QUÆ tibi majestas, quæ splendet in ore venustas
Utraque sat fulget patris in ore tui.
Nec mores animi tantùm, complecteris almam
Virtutem, famâ quæ minor esse nequit.
Si similis patri es virtute, & moribus; ergo
Dum celebrat patrem, te quoque fama canit.

Eidem gemmas
Mariæ Amaliæ Walburgæ
Neapolis Reginæ Deferenti.

TU quoque carminibus nostris vestigia sectans
Clara tui patris; facta canenda dabis.
Gratulor: en Princeps tibi scilicet ipse suum Cor
Concredit, sponsæ ut munera grata feras.

Ex-

Digitized by Google

Explicat in gemmis se Rex; animique nitorem;
Sed tibi cor Regis prodere posse datum est.

Jam magis irradiant pretiosa monilia; dextrâ
Tractari quæ sunt ambitiosa tuâ.

Torellæ Princeps
Ad Christianissimum Regem
In Gallia Orator.



TU patriæ, tu gentis honos, tu gloria Martis,
Palladis & doctæ, Mercuriique decus.

Multum pace vales, multum inter prælia Martis,
Gratia stat dictis, robur in ore micat.

Mitteris Orator CAROLI; in te Gallia & artes
Herculis antiquas jam videt ipsa novas.

Matthæus Ægiptius
Ejusdem Oratoris Regius à Secretis.



UT laudes Matthæe tuas mea musa loquatur,
Et capit, & removet sæpe molesta lyram.

Non

Digitized by Google

Non eget iſte ſuum celebretur carmine nomen
Inquit, Apollineo non eget iſte choro.

Cauſam quæro libens, cauſam dat & ipſa ſilendo;
Laudibus eſt impar fabula at ipſa tuis.

Rocchæ Aſpidæ Principi Oratori prò Carolo ad Philippum Patrem abeunti.



PErge, tui defer felix mandataque Regis,
Hiſpanique Jovis ſceptra timenda cole.

Pacifer amborum tu nuncius, atque miniſter
Sermonum fidus mutua juſſa feres.

Mercurium ſimiles, amor addat ſedulus alas,
Ultra ipſas Gades, ſic tua fama volet.

Reverendus Nicolaus Carſòra Ejuſdem Oratoris Regius à Secretis.



CErta fides, quā ſacra tenes, quâ cuncta recondis,
Præclaros inter te canit alma viros.

Pro-

Profequere,officium imple;nam tua gloria prima eſt,
Undique quæ tanto fulget ab officio.

Dux Turſi.



HOC erat! & noſtræ quòd reſpondere negaret
Muſa chely,renuens ultra dare carmina chor-
Nec tanto heroi ducebat plaudere cantu: (dis,
Scilicet ipſa Viri virtus; foret undique quæ cum
Clara nimis,nimiùmque ingens fulgeret in orbem;
Tota & ſe præbet regali munere ab ipſo,
Quod gerit, atque diù regali exercet in aulâ;
Denegat heroem celebrari carmine, & illum
Non opus eſſe monet quòd certet dicere muſa;
Tantorum adſcribi & capita inter clara virorum.
Nam primùm Rex ut ſomno demiſſus ab imo eſt,
Elevat atque caput thalamo egreſſurus ab alto,
Albentem iſte fidem,quam claro in pectore ſervat,
Teſtatur Regi, Regi dum porrigit albas
Interulas, veſteſque alias, queis regia primùm
Corpora Rex operit, veſtitque induſia primùm.
Tunc equidem cor ipſe ſuum teſtatur, amoris
Tunc monumenta ſui, prodens animumq; fidemq;
Veſtimenta inter, puro quæ corde reſignat:

Ut color hic noſter, (ſic alloqui & illa videntur)
Undique perblandè candet, nitet, inter & omnes
Albeſcit, ſuperatque albos albedine cycnos;
Turſi ſic Ducis alma fides, eſt purior, ingens,
Virtuteſque, alioſque viros ſupereminet omnes.
Interea, Rex alme, Ducis de albedine noſtrâ
Noſce fidem, heroemque animum ſervare fidelem.
Hæc dum veſtimenta monent; ſtipendia contra
Debita pro meritis, fideique, animoque fideli
Munificus reddit Carolus, tibi munera quando
Hæc penſat, proprioque jubet ſupereſſe cubili;
Atque manu ipſe tuâ regalia corpora veſtis.
O' decus! o honor ingens! & ſuper omnibus unus,
Omnẽ animũ, quancumq; fidẽ, meritumq; rependẽs.
Hæc nos dum canimus, nuptæ, innuptæque puellæ,
Vos pueri, Phœbique ſacro de monte ſorores
Plaudite, adeſte, manu vos nunc date lilia plenâ
Spargite fronde roſas, & debita munera totum,
Quæ dat pro meritis Carolus, reſonate per orbem;
Omnibus & pateat dein munificentia Regis,
Quâ cunctis, latèque ſuis benefacta rependit;
Turſorumque Duci, valuit qui dicere fidum
Seq; animumque ſuum, fidum quoq; dicite carmen;
Nomen & æternum Phœbæo in monte locate.

Nec

Dux Andriæ.



NEC te carminibus nostris procul ire licebat
O Dux Andriæ, Iapygiæ Dux inclyte gentis;
Vel tua nos canimus transacta pericla, labores,
Queis tuus exultans CAROLUM veneratur Iapyx
In regem, primùm CAROLUM Regemque salutat:
Aut queis Bituntina nitet victoria; quò tu
Bella inter quamvis non prima pericla subisti;
Attamen ipsa tui actio, prima, & maxima belli
Pars fuit; ipsa etenim CAROLO victricia lauro
Tempora cingit ovans, primũ tulit ipsa trophœũ.
Bellantes veluti ferro, sic tu studioque, labore,
Consilioque juvas, urbem hanc, illamque reducens
Imperio CAROLI: per te illi & subdere colla
Magnates, Proceresque valent; queis credita regni
Pars illa est, & quorum sub ditione manebat.
Regibus ergo vales tu maxima quærere regna,
Bellantum parcens studiis, Martisque cruori:
Sicq; trophœa paras sine sãguine; maxima quæ laus
Est tua, præ cunctis major, majora recensens,
Sanguinolenta virûm dum tristia prælia mulcet.
Sed laudes, Dux alme, tuas vulgare canendo
Dum cupimus, tua vel pro Rege pericla, vel acta,

Digitized by Google

Ordiri, populiſque loqui, quis carmina plectro
Digna dabit, geſtiſque tuis æqualia ſcribat?
Ne mihi pro rebus poſthac labantur inanes
De plectro laudes, ſileam, dicamque ſilendo:
Cum regno CAROLUS non omni ex parte potitus,
Et ſortes illius adhuc in lancibus eſſent,
Virtus una tua eſt, juncto quæ milite Regis,
Teutonibus pulſis, regalia nomina firmans,
Dat CAROLO palmã,& parvo cum ſanguine Regnũ.

Dux Bovini.



QUÆ regio regni Hirpinis eſt proxima terris,
Clara nimis,nimiùm totum vulgata per orbem
Et ſaltu, ſilviſque ſuis; jam credita dudum
Eſtque tibi, domuique tuæ, gentiſque vetuſtum,
Præclarumque decus, præclaraq; nomina ſervans,
Quòd ſit venandi ſtudiis aptiſſima ſemper;
En tibi jamque novas laudes,nova munera præbet.
Huc CAROLUS venatum pergit, & omne ferarum
Hic genus agnovit poſtquam, volucrumq; reviſit;
Venandi ſtudiis te præfert omnibus, atque
Te ſupereſſe jubet regni venatibus unum.
Hæc nova ſunt,regio tua quæ tibi munera profert,
Atque novas addit laudes, inſignia laudum

Ut

Ut nova, ſic decora àlta, novòſque adducit honores.
Perge modo, impleto munus, ſtabula alta ferarum
Tu cole compoſitò, ſerva genus omne volucrum;
Retia lata para, lata & venabula ferro,
Et canum odoram vim, prodit quæ ſaltibus apros;
Cæteraque inſtrumenta, quibus circumdare ſaltus,
Atque feris, avibuſque aliis protendere dulces
Inſidias valeat CAROLUS, ſedare labores
Cum placeat, liceatque graves dimittere curas.
Hoc decus heroes inter primum eſſe laboret
Fama tui, placeat CAROLO quòd viſere tecta
Ipſa tua, atque tuas ſilvas, nemorumque receſſus.

Princeps Roccellæ.



FErte roſas Cives, date lilia, ſpargite flores;
Hic veſtræ eſt patriæ gloria, Regis amor.

Cernitis ut niveo ridens ſtet in ore venuſtas,
Emicet ex oculis utque Cupido ſuis.

Par Regi vultu, ætate eſt, & moribus; illo
Quiſque ergo minor eſt; hoc mage nullus erit.

Te

Joseph Miranda.




TE virtus miranda tua, & mos ipse pudicus,
  Inter regales inseruere domos.
At se, musa tuos dum ludicra cantat honores,
  Visa est in laudes inseruisse tuas.
Jure ergo, nimiùm dum tu splendescis in aulâ,
  Splendeat, & nimiùm, Phœbus honore tui.

Aliud.



CUM Regi virtute tuâ tu proximus adsis,
  In te Rex vertit lumina grata sua.
Atque tuæ captus mirandâ ab imagine mentis,
  Te regere & currus, quadrupedesque jubet.
Esses ni Regis plaustrorum, & rector equorum,
  Quæne tibi major gloria parta foret?



Et

Digitized by Google

Magdaluni Dux.



REgia majores ab tanto Principe faſtus
Explicat, & Regis gloria prima micat.
Urbs ingens illi eſt, intrat quam CAROLUS Infans,
Ut primùm victor fulſit ab hoſte fero;
Quò, poſtquam cecinit Muniana trophæa, paternas
Et leges firmat, juraque noſtra vovet.
Cum niteat primùm hinc Regis Clementia; tanto
Jure Duci Regnum plaudat, & Aula ſimul.

Dux Gravinæ.



QUi potis eſt Procerum claro inſervire cubili,
Nomine præclaro condecoratus abit.
Qui thalamo Regum contra inſervire ſuperbit;
Illius immenſum contigit eſſe decus.
Quæ tua laus ergo? Regis decoratus honorē
Tu thalami, major ſplendidiorque nites;
Maxima ſunt equidem hæc; at nos majora ſilemus,
Ne plectro indecori ludat Apollo Virum.

Sive

Digitized by Google

Princeps Blandæ, vulgo Belvedere.



SIve Latina tuo vox ſit, ſive Itala caſtro,
Utraque clara tuum denotat omne decus.

Blandæ nomen habet, ſic ſplendes undique blandè,
Moribus & blandis, nominibuſque places.

Itala vox contra ſonat ut clariſſima Regno,
Sic quoque majorum geſta vetuſta notat.

Hoc CAROLI deerat ſplendentis faſtibus aulæ;
Adderet ut decori nomina tanta ſuo.

Montis Milecti Princeps.



Princeps,

QUæ tibi dat CAROLUS grator nova munera,
Debita ſunt fidei munera quæq; tuæ.

Regali poſitus thalamo, Regiſque cubili,
Et thalamo, et vitæ Regis adeſſe tuum eſt.

Macte vir, en fatum ſuperas, dum clarior intras
Aulam, majores quam tenuere tui.

Tu

Marchio Fuſcaldi.



TU quoque præclaris thalamis,& Regis in aulâ
Splendes,ut niteat quam mage Regis honos.
Unde tamen Fuſcaldi nomen, maxima cum tu
Gloria ſis Regis, clarior Urbis amor.
Nomen ſume novum, thalamiſque decentius almis,
Moribus appoſitum, muneribuſque tuis.
Alba fides nomen tibi det, ſic moribus aptum,
Muneri & appoſitum ſic tibi nomen erit.

Princeps Scyllæ.



IMproba Scylla trahit naveſque, homineſque ſub (undis,
Æſtuat, & diro gurgite ſorbet aquas.
Scylla tua at contra ſibi ſat genteſque, viroſque
Attrahit, & populos ſublevat, atque beat.
Quæ populis ſcelera ergo parit, fera Scylla Sicanâ,
Noſtra hæc Scylla levat, Parthenopea fugat.

Mili-

Malæ-Spinæ Marchio.



TU Mala Spina etiam regali adſcriberis aulæ,
Tanta nec arceantur nomina dira tua.

Scilicet, ut florum princeps tutiſſima ſpinis
Eſt roſa, ſic per te REX quoque tutus eat.

Ergo aliis Mala Spina vales indicere bellum,
Ut contra CAROLO ſis bona Spina tuo.

Caſtri Montis Marchio.



MOnte ſuper poſuiſſe tuo quis caſtra negabit,
Et CAROLUM palmas hìc retuliſſe novas.

Arctas perque vias, & montes itur ad aſtra;
Hìc, cœlum ut ſuperet, rectiùs arma parat:

Quæ tamen arma putas, parat hìc ut ſidera vincat?
Arma quibus CAROLUM, cernimus eſſe pium.

Hæc tibi commendat; ſu n t queis relevatur Egeſtas;
Pauper & ærumnas deſtruit unde ſuas.

Dum CAROLI exercet pietas hæc munera, palmas,
Per te quas tractat, geſtiat ille ſequi.

Sic orbem vicit poſtquam, præclarior axis
Incipiat Caſtro è Monte ſubire vias.

Digitized by Google

Joseph Chartigliar.



ET dum cuncta meo respondent fausta labori,
His quoque tu chartis quàm bene faustus ades.

Faustus ades, faustusque venis, dum nomina sumis
E chartis, chartis sis decus omne meis.

Hispano, ac toto veluti splendescis in orbe,
Fulgeat e chartis sic mea musa tuis.


Aliud.



AUla nitet, nitidâque tuâ de albedine fulget,
Quam cordis, quam animi charta dat alba tui.

Alba animi, cordisque tui quæ fulget imago,
Cuncta tibi vincit corda, animosque virûm.

Corda, animosque virûm tua cùm devincat imago,
Jure tibi CAROLI regia corda ligat.



Hespe-

Digitized by Google

Johannes Brancacius Regalis Patrimonii Præſes, & Regius a Secretis.



HEſperidum perhibent hortos ſervare leones,
Immenſas vigiles quique tuentur opes.
Brachia cum patrium deſignat ſtemma leonum,
Pervigiles gentis denotat eſſe viros.
Quòd CAROLI argentum ſerves, gazaſque miniſtres,
Nil mirum ergo? vigil diceris eſſe Leo.

Aliud.



DIcitur & gazas, Phrixei & velleris aurum
Servaviſſe Jovi, longa per æva draco.
Dum CAROLI potis es gazas ſervare, vel aurum
Aurea quòd ſerves vellera jure decet.
Auguror: auguriis faveant quoque proſpera fata;
Vellere ut aurato clarior irradies.

Non

Digitized by Google

Celestinus Galianus Episcopus Thessalonicus Regalis Aræ Antistes.



NOn operosa tibi surgant monumenta per æthrã,
Pyramis haud ingens se vertat ad astra, caput
Inserat in nubes, similesq; novantur ab arte (que
Ingentes moles; tua te probitasque, decusque
Concelebrant, alas addat sapientia, qua tu
Philosophos omnes inter splendescis, & omnem
Insignem potis es doctrinæ absolvere fontem.
Hæc tibi sacrato valuit præcingere serto
Tempora, quo primùm rexisti sacra Tarenti;
Postea regali jussurus Regis in arâ
Præficeris leges, rediens Sirenis in urbem.
Sedes hìc Phœbo sacras, hìc magna lycea
Auxisti; Carolus per te nam, milite pulso,
Dat musis arces, propriâque locavit in æde.
Sic Regis postquam meruisti tangere mentem,
Mitteris acturus regalia munera Romam:
Quæ postquam explesti felici numine, felix
Splendescis Carolo, musis felicior almis;
Per te namq; vigent, per te relevantur in orbem;

Per

Per te nam renitent, meliùs, meliora canendo:
Hæc ergo ſurgant de te monumenta per æthram;
Hæc & fama canat, dicatque æterna per ævum.
Interea obſequia hæc, modo tu ne deſpice Præſul,
Atq;meū exiguū hoc,quoq;tu nunc ſuſcipe carmē.

Nicolaus Roſa Epiſcopus Puteolanus in præſentiarum Regalis Aræ Præſul.



TU ſacer addictus muſis, Phœboque ſacerdos;
Muſarum, & Phœbi docta lycea regis.
Delius ergo tibi plaudat, plaudantque Camœnæ;
Sed melior cunctis te tua Roſa canat.
Ipſa ſuis redimita libris, Themidique, foroque
Plaudit, majores dum canit alma tuos.
Sive canat; doctè quæ jam ſcripſere Joſephus,
Et Thomas, Caroli ſcriptaque ſive canat.
Sed tua cum probitas, quam claro in ſanguine de-
Et tua cum virtus undique clara ſonet. (fers.
Te mos ipſe tuus, patrum non ſtemmata dicent;
A te ergo ingeminet nobile ſtemma Domus.
Par-

Franciscus Bonocorius Regis, Regnique Archiater.



QUI morbos arcere valet, quive abdita cæcis
Farmaca vulneribus sæpe parare solet.
Indicat en vultu quanta est sapientia menti;
Quanta illi est bonitas moribus ipse docet.
Ingenii ex oculis decor emicat, atque venustas
Frontis languores, tristitiamque fugat.
Regis vita tibi concreditur; ergo salutem
Regnorum tua nunc ars operosa regit.

Aliud.



ARte valet multum hic, multum dulcedine vul-
Ægros hæc relevat, destruit illa febres. (tus,
A Patre jure datum Nati superesse saluti;
Doctus nam arte levat, dulcior ore juvat.

Digitized by Google

Theophilus Maurus
Regalis FARNESIÆ *Domus Miniſter.*



ILle ego ſum CAROLI rerum moderator, & ævi
Flore quidem juvenis, ſed quoq; mentę ſenex.

Hac potui juvenis tractare ſenilia, & inter
Conſilii magnos puber adeſſe viros.

Fortunam hinc igitur quiſquis noſtram invidet al-
Hic melius felix ingenium invideat. (mam,

Aliud.



SEU faciem ſpectes, ſpectes ſeu cor; animumque
Pulchrior eſt facie, pulchrior eſt animo.

Pulchrior eſt ſi animus, facies ſi pulchrior; utrum
Majorem dicat mens agitata mea eſt.

Major ſanè animus, re præſtantiſſimus omni;
Falleris: eſt facies corda, animoſque beans.

Si præſtat facies, faciem miraberis ergo:
Aſt animum contra tu reverenter habe.

Par-

Cajetanus Branconius tum Regiæ Jurisdictionis, tum Ecclesiasticarum Rerum Regius a Secretis.



PArthenopes postquam multos servavit in annos
Strictiùs hic cordi, detinuitque Sacrum.

CAROLUS en mandat regat ut penetralia regni,
Hinc regni, hinc urbis sacra colenda tenet.

Quid mirum, nunc illum ad sancta oracula Status
Evocat: omne Sacrum noverat iste suum.

Joseph Dux Brunasius Urbis, Regniq; Sexvir.pro Populo.



HOrrea, quæ tristis vacuat penuria, Cives
Hujus ab ingenio sæpe referta vident.

Quæ negat ipsa Ceres, tua dat solertia Joseph;
Hinc meritò patriæ diceris esse pater.

Si

Digitized by Google

Si pater es patriæ ; cordi tibi copia ſemper
  Sit: patrius natos ſic alit omnis amor.

Johannes Medranus Regius Architectus, Militumque Præfectura Inſignitus.



HIC ubi miramur tam vaſtâ mole theatrum,
  Et CAROLO haud impar ſcena ſuperba nitet.
Hic ubi vel priſcas arces renovare videmus,
  Surgere vel cultu ſplendidiore novas.
Hic ubi ſylva viret celſis circumdata muris,
  Et lepus innocuas itque, reditque vias.
Hic ubi fornicibus montes ducuntur in altum,
  Alteriuſque aulæ nobile ſurgit opus.
Non opus eſt Domini; tua ſunt miracula, Regis
  Qui juſſa imples, & perficis ingenio.
Ut CAROLO ſumptus, ſic ſtat tibi gloria facti,
  Quo te fama loquax, ingeniumque canit.

Hic

Lectori.



HIC alios quamquam multos tacuisse videtur
Musa viros, tempus defuit, haud animus.
Tempus erit rursus plectrum, quo musa resumet,
Hos canet, atque lyrâ quàm meliore viros.
Nunc tibi si non ista placent, & livide nomen
Detrahis; haud lector, sed bene lictor eris.

Ad librum.



O Quantum creturus eras, si tempus amicum,
Libertas nobis latior atque foret:
Me Themis ad lites, iterumque ad jurgia ducit,
Inque forum repetit jura remissa cliens.
I nunc, & minimus quamquam sis, tu tamen istos
Heroas celebrans maximus esse potes.



Digitized by Google

Princeps Stiliani.



INclyte quid Princeps de te mea muſa reſumens
Plectra canat? chordis carmina quæve dabit?

Vel genus ipſa tuum, mores vel dicere certat,
Virtuteſque alias, ſemper inane canet.

Quadrupedes Regis, curruſque parare ſuperbos
Hæc animi, hæc fidei ſunt monumenta tuæ.

Axibus ut currus, ſonipes ut naribus ardent,
Gloria ſic ingens fervet honore tui.

Seu ſonipes, ſeu currus, ſeu te & gloria dicent,
Nunquam iſtæ munus ſat cecinere novum.

Sola Columna eſt, quæ tua percenſere ſuperbit
Geſta, ac ipſa recens præcinit una decus.

Subſtinet apta rotis nam currus ſola columna,
Indomitos & equos ſola columna domat.



Quos

Placidus , & Dominicus Sangri.



QUos olim tempus fugiens cantare negavit
  Sangriadum Heroas, nunc quoq;musa cane.
Et poſtquam renovas iterum modulamina cantus,
  Hos tibi ne pigeat, ludere Sangriadas.
Scribendi & quamquam eſſent inter fulmina Martis,
  Hos tamen hìc Mavors ſcribere & ipſe monet.
Sangriadum nam ſæpe virûm Mars ipſe refulſit
  Conſiliis, palmas concecinitque ſuas:
Horum & conſiliis moderatur miles in arce,
  Et poſitis armis, conſuluiſſe placet.
Eja ergo & meritæ ſurgant Heroibus aræ,
  Tantorum pateant parta trophæa virûm.
Et tua ſub prælo crepitent cum ſcripta, typiſq;
  Expletis, proprium ſors negat acta locum;
Hìc ſedem meditare novam, atque Heroibus aptam,
  Horum & virtuti, muneribuſque parem.
Primum ſive canes, narrabis ſive ſecundum,
  Alter in alterius mutuo honore micat.

M Hi-

Digitized by Google

Hiſpanaſque, fidem ut Regi teſtentur Ibero,
  Scimus, adhuc juvenes, hos petiiſſe plagas.

Regiæ & hìc primis decorantur honoribus aulæ,
  Et decoris primos hìc tenuere lares.

Horum è conſiliis, geſtiſque ſuperbior olim,
  Lætior eſt viſus currere Iberus aquis.

Virtutique virûm tota olim Hiſpania plauſit,
  Plauſere & fidei credita regna virûm.

Nàm populis ſupereſſe ſuis Valentia vidit,
  Te Placide, arbitrio & credita jura tuo.

Te populos moderante ſuos, cognovit & olim
  Quàm recte valeat reddere jura Themis.

Copia tunc etiam cornu meliore nitebat,
  Et relevata tuâ, Virgo nitebat ope.

Pauper nullus erat, tenuemque nec ullus agebat
  Vitam, æquata & erant pondere quæque ſuo.

Lætior ibat ovis, flos undique, & undique odores;
  Aureus & fluxit, te moderante, dies.

Et tua Sangriadum fratrum, quamquā ultimus eſſes,
  Ultima non eſt laus, gloria, honorque tuus.

Tu Placidi, alteriuſque ſequens veſtigia Fratris,
  Palladis, & Martis vaſta lycea ſubis.

Con-

Digitized by Google

Consiliis hinc sæpe tuis Hispania plausit,
  Plauserat Hispani Regis & aula tui.

Dein robur, mentemque tuam miratur in hostem,
  Hoc tua dum fracto parta trophæa canit.

Regis & Hispani hæc postquam explevistis in aulâ,
  Fulsit & Hispanis gloria vestra plagis.

Fulgeat ut nimiùm, totoque refulgeat orbe,
  Carolus huc fato prosperiore venit.

Vix etenim ille est hìc regnoque potitus, & urbe,
  Vix bello expleto classica signa silent;

Et sitis cum vos tanti pars magna laboris;
  Aucta decore novo gloria vestrà stetit.

Hinc Tuscæ vestrum primus præponitur arci;
  Alter Cajetæ Martia signa regit.

Vos regere, hæc cives quamprimum regna videbunt,
  Auguriis faveant fata secunda meis.

Vestra etenim virtus hæc, & majora reposcit;
  Virtuti hinc vestra prospera fata favent.

Vobis fata nihil, contra vos additis illis,
  Laudibus e vestris dum speciosa nitent.

Interea, vos qui cunctis Heroibus estis
  Majores, minimi vatis adeste lyræ;

Atque ea cum fuerint, cecinit quæ præſcia Muſa,
Tunc Phœbo major concelebrabo diem.

Caſtri Pignani Duci,
Pro Siciliæ regimine ei decreto.



SCylleas mitti meruit quem nuper ad urbes,
Trinacriæ populos, regnaque opima reget,
Muſa his adde viris; poſitis nam belliger armis,
Incipit è caſtris munus obire novum.
Otia cum fugiat, populoſque, urbeſque regendo,
Ingenii vires exprimit ille ſui.
Nempe vias Themidis, placidoſque affectat honores,
Ut diſcat pacis tempore regna regi.
Et decet; illuxit ſpoliis qui Martis opimis,
Palladis ut ſtudio quam meliore micet.
Marti cum fuerit, ſit carior atque Minervæ;
Clarus eat bello, paceque clarus eat.
Miſceat atque viri duo nunc miracula virtus;
Quò Mars ipſe fugit, Pallas & ipſa venit.
Hic lapſam ætatem, perfractaque tempora curat;
Ordinibus mores reſtituitque ſuis:

Et

Digitized by Google

Et priscæ pietatis amans, & moris aviti
Præsidium miseris, atque levamen erit.
Undique jus fuerit, Themis undique; lancibus æquis
Curabit populos, instituetque forum:
Longè fraus aberit, fraudisque calumnia mater;
Atque aberit turpis calliditate dolus.
Omnia virtutem, redolebit & omnia virtus;
Dispar nil erit a conditione viri.
Pergat io, tantique vicem, & moderamina Regis
Impleat, & toto munus in orbe sonet.
At vos interea Siculæ nunc cingite lauro
Tempora vos Musæ, Pieridesque Deæ.
Atque Ducem circum prisco de more choreas
Ducite; nam plausus nunc renovare decet:
Et decet; ut post tot, tanta & discrimina rerum,
Dicatis tanto carmina vestra viro.
Et sanè, Musarum hunc si unquam numina tangunt,
Vatum esse & numen, præsidiumque potest.

Campi Clari Dux.



NON quia militibus præes, o Dux inclyte, nostris,
Adderis his libris, carminibusque faves.
Hic

Hìc nos te canimus, clarus quòd moribus, atque
Consilio clarus, clarus & ore mices.
Sic tibi respondent Clari bene nomina Campi,
Dum bello clarus, paceque clarus abis.

Januarius Brancacius, in præsentia Septemvir pro Populo.



HIS quoq; carminibus nostris accede parumper
O, per quem nobis fulget opima Ceres.
Hæc tibi dum Carolus confirmat munera; nostram
Sedulus annonam, cætera jura fove.
Sic tua dum meliùs, nostra & meliora renident,
De te, de nobis gloria major erit.

Hostiliani Principi, & libro.



O'Quàm lata patet, per te, quæ janua, Princeps,
Nunc libro reserata fuit;nova carmina scribens
Musa,iterumq; ciens demissum ad gaudia plectrũ.
Quot, qualesque viri sunt ipso in limine; sedem
Affectant habuisse suam; tuâ imagine capti
Inseruisse petunt tantorum in scripta virorum:
Non quia musa viros mereatur scribere tantos;
Sed

Digitized by Google

Sed quoniam tanto placet his quoq;plaudere Regi:
Teque ſequendo putant capite irradiare ſuperbo.
Ipſa etenim virtus tua, quæ tibi nectere Regum
Corda, animoſq; valet,tibi ſat quoq; nectere tanta
Corda virûm,heroaſque tibi vincire ſuperbit.
Quanta tibi probitas, quantus tu comis, honeſtus,
Urbanus, manſuetus abis; tibi fulget in ore
Quæ pietas, quâ toto ingens ſplendeſcis in orbe;
Et cum majeſtate decus, decori additur alma
Morum dulcedo, gentis quâ pectora vincis,
Moribus atque tuis virtutum culmina miſcens.
Jure ergo certant alii, heroeſque, virique
Te circum, tecumque ſimul præludere Regem;
Eſt nimium qui de te heroe ſuperbior, ingens.
Quos inter primi certant, qui nuper ab ipſo
Inſtituuntur Rege, noviſque inſignibus, atque
Legibus ornantur, ſacris pariterque reguntur
Auſpiciis o Dive tuis, qui noſtra gubernas,
Sub ditione tenes, liquenti & ſanguine Regnum.
O ſi muſa foret mihi dignior, oraque centum
Siqua forent, hìc quæ gentis, domuumque vetuſta
Non canerem geſta? & præclara inſignia rerum?
Quoſque viros,equiteſq;, duces,quos undiq;claros
Heroes, horum & reſonantia geſta per orbem.
Hæc, ſi muſa unquam meliori induta cothurno
Spirabit vatem, Phœbeo flamine carmen

Im-

Implebitque meum, tantiſque heroibus aptum,
Dicam;addamq;urbes captas,hoſtemq, ſubactum,
Sub Caroli ditione ingentia regna redacta,
Cætera parta ducum belloq, & pace trophæa.
Interea vos, qui, geſtorum vertice, ſupra
Heroes eſtis, noſtri ne temnite parva
Hæc monumenta animi, parvā nec ſpernite thuris
Micam hanc, quam vobis etiam poſuiſſe juvabit.
Quos inter dum tu Princeps præclare renides,
Et tibi dum lucet Borbonia Stella, labores
Suſcipere hos dignare meos, ſic viribus auctis,
Deque aliis meliùs, de te meliora reponam.
Geſtaque dum prohibet tua dicere ſingula tempus,
Et vires canere, Heroum & capita alta referre,
Sit tamen hæc dixiſſe ſatis. Themidique, foroque
Gens præclara nimis, per quam ſapientia latè
Illuſtrata nitet, claroſque accepit honores,
Me vocat,atq;monet modicum mihi temporis eſſe,
Quo licet, illorum & ſcriptas percurrere laudes,
Illos atque iterum ad Pindi deducere culmen.
Urget & inde typus, citò meq;typographus urget,
Ultra qui ire, diù ſuſpenſus in arte moratur,
Increpat, & meritò, quòd tempus inutile perdat.
Rurſum ergo liber i, noſtroque impone labori
Optatum finem: tibi quæ pars altera adaucta
Non primâ minor eſt,nec ſtat ſplendore ſecunda.

Quos

HEROES

tum ſapientia, tum juſtitia illuſtriores

LIBER QUARTUS,

PRÆCLARO VIRO, ILLUTRISS. DOMINO MARCHIONI

D. BERNARDO TANUCIO

SCRIPTUS.

Eidem libri inſcriptio.

QUos tulit Heroas ſtudiis Sapientia claros,
Juſtitia illuſtres, hos tibi jure damus.

Jure damus, ſunt nempe tui monumenta decoris,
Nam legit hos CAROLUS, ſi legis ipſe, viros.

Virtutes primùm noſcis, longoſque labores,
Cujuſque & mores, ingeniumque probas.

Jure ergo CAROLUS Themidis penetralia juſſit
Te regere, auſpiciis & dare jura tuis.

Ut Phœbus rutilat magis inter ſydera, ſic tu
Hos inter ſacrâ mente, animoque nites.

Nulla per immenſum tam barbara cernitur orbem,
Nobile quæ nomen neſciat ora tuum.

Digitized by Google

Eja age, & Heroas, facili quos carmine lusi,
Suscipere, & facilis tu modò disce, tuos.
Lætior inde fave, & vatem tua facta canentem
Lumine nec toruo, nec renuente legas.

Ejusdem Effigies.



SIste gradum,& facrum vultum venerare Tanucj,
Cernitis ut rectum spiret ab ore viri.
Quæ quondam petiit cœlum mortalia linquens,
Hujus ope huc iterum est visa reducta Themis.
Vel Regni fines, hanc vel si respicis Urbem,
Undique jus legum regnat, & æqua fides.
Non mihi Gnossiaci memoret nunc Græcia mores
Judicis: hìc sortes æquiùs urna movet.

Aliud.



HIC dum Pisarum sub mœnia celsa moratur,
Jura quibus terris, quòve reperta docet.
Ta-

Talia dum ſcribit mentemque,animumque ſeverum
Et Themidem, & leges incoluiſſe ferunt.

Quid mirum eſt ergo! Themis undiq;,& undiq; rectum
Legum a Secretis ſpirat ab ore viri?

Vincentius Marchio Hippolytus Præſes Sacri Regii Conſilii.



HUnc, quæ virtutes ornant ſiluere per annos
Carmina; ſed cantu jam celebrare decet.

Scilicet ut virtus Borbonia noſceret ipſum,
Hiſpanis venit finibus huc Carolus.

Aliud.



DIcitur Hippolytus Phædram effugiſſe novercam
Perpetuâ ut coleret virginitate decus.

Et tu nomen habes, in quo victoria fulget;
Cognomenque tuum virginitate fragrat.

Uno nil mirum curſu ſuperaveris omnes;
Nominibus tantum dum ſuperare vales.

Aliud.



DIcitur extinctus poſtquam fuit arte novercæ
Hippolytus, Phædræ ſubſtinuitque dolos.
Illum Phœbigenæ revocaſſe ad gaudia lucis
Ars medica, & lætos poſthabuiſſe dies.
Non tibi Phœbigenâ, tibi non opus arte medendi,
Æternum virtus te facit ipſa tua.

Aliud.



NOſcere quiſquis amat Romæ veſtigia Patrum,
Clara Senatorum vel monumenta cupit.
Vincenti, in te oculos vertat, noſcatque Catonem;
In te uno tantum dicat & eſſe virum.
Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat,
Sed mage te numquam clarior ille fuit.
Nulli etenim præerat, fuerant ſimileſque, pareſque
Patres; at contra Patribus ipſe præes.
Pompejos referant alii, Scauroſque ſedentes,
Pompejo Scauro ſed ſupereſſe tuum eſt.
Magni hinc ſi nomen meruit Cato; maximus illo
Es tu, qui præes, & munera major obis.

Con-

Conſiliarii Regalis Cameræ Sanctæ Claræ. Horatius Marchio Rocca.



COnſultorum hic eſt celeberrimà gloria ſectæ,
Eloquio multum, conſilioque potens.
Cernitis ut rutilet præſtanti in corpore virtus;
Cernitis utque decor fulgeat ingenio.
Quæ vultu majeſtas! quæ ſapientia menti eſt!
Hìc decor, hìc virtus conſtituere lares.
Ergo tuis ſuperas cum tu virtutibus omnes,
Virtus ſola eſt, quæ te ſuperare valet.

Aliud.



VIrtus, ut perhibent, ſuper altâ ſiſtitur arce,
Quæ ſuper excelſo monte locata præeſt.
Arx tuum erat caput, & corpus mons altior omni;
Jure ergo nomen quàm bene Rocca tibi eſt.

Ju-

Digitized by Google

Antonius Magiocca.




JUſtitia, & pietas animum ſubiere libentèr,
Pectoris & ſedes incoluere tui.
Sic librata dabas jam tu reſponſa clienti;
Sic librata modò das quoque jura foro.
Juſtitiæ ſummum mulces pietate rigorem,
Ne ſummum jus injuria ſumma foret.
Quid mirum, affectent omnes ſua jurgia per te
Decerni; in te cum fulgeat ipſa Themis?

Aliud.



QUiſque Heros aliquid virtutis nomine ſignat;
Virtutis nil tu in nomine ſolus habes.
Scilicet haud opus; ut ſervetur nomine virtus,
Altâ cum maneat mente repoſta tuâ.



Eſt

Digitized by Google

Franciscus Ventura.



EST huic asperitas vultu, est in corde venustas;
Prima regit vultus, altera corda regit.

Displicet & si vultu, & quemque repellere credas;
Corde tamen multum sublevat iste suo.

Non vultu bonitas, opus est ut corde residat:
Nam quisque ex animo pondera cordis habet.

Tu vultum ergo, animumque suo de corde repende;
Et sanè asperitas ludet in ore viri.

Aliud.



VEnturam Ausonii dicunt, quæ fata beatam
Sortem, vel vitam longa per æva trahunt:

Cum tu sis animo, sis altâ & sorte beatus;
Ut vitam, restat, longa per æva trahas.



Si

Carolus Marchio Danza.



SI vocem Aufoniam fpectes tu, Danza, choreas
Ducere,& ad numerum membra movere doces.
Vox tamen ipfa notat, citò te fupereffe periclis,
Agglomeret quamquam fors inimica vices.
Sint implexa magis Labyrintho jurgia, faltu
Te Themis alma regens profiluiffe dabit.

Aliud.



DOctorum pugnas, olim quas fcripfit Elifeus,
En Danza hic nofter conciliare valet.
Doctores dum Danza omnes in fœdera jungit,
Nonne foro pacem conciliaffe putas?
Mirum ergo! e Danzâ, quæ concitat omnia faltu,
Litibus, & Themidi cernitur orta quies.



Ulti-

Joseph Borgia à Secretis.



ULtimus hic reſponſa notat, ſignâtq; Senatus
Quæ ſtatuit, tamen haud ultimus ingenio.

Jam potuit cauſarum inter ſplendere patronos;
Multorumque ſagax acta ciere foro.

Clara ataûm nunc ipſe ſequens veſtigia; quondam
Proximus eſt aulæ, quam tenuere patres.


Sacrum Conſilium.
Prima Aula.
Franciſcus Maria Lanarius.



TE quoque, Lanarj, tua nos & facta canemus;
Gloria Parthenopes, & decus ipſe tui.

Corporis & quantum tua te præſtantia monſtrat,
Tantum virtutis nunc tibi fulget honos.

Undique cum fueris virtute, & corpore præſtans;
Tu tibi laus ergo, tu tibi Phœbus eris.



O Hæc

Digitized by Google

Joseph Capozzutus.



HÆc sunt illa mei, quæ cernitis, ora Josephi,
Ista Capozzutus pulchrior ora refert.
Ut vultu dulcis, mos est ita dulcior illi,
Si placet ut sævit, plus placet ut loquitur.
Dulcis & orandi mos olim, dulcior at nunc
Consulit, & reddit quàm bene cuique suum.
Sed ne sola canat morum dulcedo Josephum;
Dulcior è chartis ludat imago meis.

Balthasar Citus.



CIte,citò subis hæc sacra munera;munera quãdo
Sacra subire ætas quàm veneranda docet.
Ætatem virtute præis, virtute præire
Ergo tuum est, aliis & superesse tuum.
Maxima dum tamẽ hæc carpis tu munera; honorem
Hunc modò carpe citò, nam citò major eris.



Mu-

Aliud.



MUnera, quæ feros tandē attinguntur in annos,
Hic juvenis facilè, quàm citò Citus obit.
Quid mirum? virtus transfundi ſanguine fertur;
In Nato patrem jam rediiſſe vides.

Dominicus Raymundus Roſa, In præſentiarum Coſentiæ Præſes.



PRæneſti roſa, purpureis redimita coronis,
Cognomen ſignat ſi Raymunde tuum.
Verte modum, & tua cum ſint undiq;candida facta,
Albentem patrio in ſtemmate pinge Roſam.

Aliud ſimile.



CAndida ut ornaret Raymundi pectora fertur,
Candida ab Idaliis hæc Roſa lecta plagis.
Cur non purpurea? obſcæno nam ſanguine nata,
Moribus hæc puris non erat apta ſuis.

Digitized by Google

Honufrius Scaffa,
In præsens Cathacii Præses.



IPse Tarantinæ ad regimen vix mitteris urbis,
  Cum Siren credit civica jura tibi.

Munera adire citò magnæ est virtutis; honores
  Æquum est ut plausu concita musa canat.

Fama tui, & virtus tibi jam gratantur; & ambæ
  Contendunt nomen tollere ad astra tuum.

Si canere hæ certant, tibi si gratantur; utrâque
  Splendidior mage tu, tu mage nobilior.

Donatus Antonius de Hastis.



MArte furente furit, si pax est hasta quiescit,
  Dormit, & illam tunc dira rubigo terit.

Hasta tua at contra mage pacis tempore sævit,
  Dirum infert bellum sontibus, atque furit.

Seu, quæ scripsisti, legimus, pro jure tuendo,
  Cernimus aut leges te moderare foro.

Macte vir invidiâ, minimus sis corpore quanquam,
  Maximus assurgis dum bona jura foves.

Si

Secunda Aula.
Thomas Dux Vargas, y Machucca.



SI quæris genus ; hic docto est e sanguine natus;
Inque foro fulget gloria patris adhuc.

Si virtutem ; olim potuit jam plectere sontes,
Nunc dirimit lites, consiliisque regit.

Major at est propriis, quæ fulget gloria factis ;
Virtute ipse suâ, non patris ergo nitet.

Fernandus Porcinarius.



QUid,Fernande,canat de te mea musa ? fatigant
Ingenium, atque genus carmina nostra tuum.

Mente viges, flores tu sanguine, sed tibi major,
Quàm genere ex alto, gloria ab ingenio est.

Tu voce Hermetem vincis, tu Pallada mente,
Nemo tibi eloquio, consilioque præest.

Immortalis honor virtuti est debitus uni;
Ipsa tibi est pretium, dat tibi sola decus.

Indi-

Dominicus Brunus.




INdicat en Bruni vultuſque, animique venuſtas,
  Quæ ſibi devincit corda, homineſque ligat.
Eloquio quantum valuit ſat clara clientum
  Vox una ingeminat, nobiliumque virûm,
Tanta fuit Bruni dictis facundia linguæ,
  Ut minor Hermetis viſa loquela fuit.
Ore tuo in laudes tibi ſolvas, inclyte, vocem;
  Impar eſt factis noſtra Camœna tuis.

Carolus Gaeta.



NObilis eſt atavûm ſeries tibi, ſed tua virtus
  Majorem proavis te facit ipſa tuis.
Nobilior virtus ergo in te eſt; ipſaque per te
  Et ferat, & captet nobilitata decus.
Hinc virtute aliis, cum tu, vel origine præſis;
  Tuque tibi major, tuque tibi eſto minor.



Ex-

Digitized by Google

Franciſcus Guerraſius.



EXprimis ipſe tuo populari nomine bellum,
Indicat at pacem frons, animuſque tuus.
Quàm bene ſcis belli, & pacis ſacra munera obire;
Quàm bene tutari jura utriuſque vales.
Criminibus bellum juraſti, & perdere ſontes;
Contra pace bonos, juſtitiamque foves.

Nicolaus Marchio Fraggianni, In præſentiarum Panormi Regalis Monarchiæ Conſultor.



VIdimus hunc ſtudiis operam navaſſe ſeveris
Palladis, & doctos exagitaſſe libros.
Illum Aſtræa dehinc ad jura, & jurgia ducit,
Jura daret populis, plecteret atque reos.
Quod poſtquam Regni multis explevit in oris,
Conſiliique ſacros rexit in urbe lares.
Rectiùs Aſtrææ charus, charuſque Minervæ,
In Siculis oris regia jura regit.

Aſtra

Digitized by Google

Tertia Aula.
Hyeronimus Marchio Arena, Siciliæ Consultor.



AStra Syracosius potuit numerare Magister;
At poterit laudes quis numerare tuas?

Sola tuas laudes complecti posset arena;
Ista tamen musam tardat Arena meam.

Permittunt lassæ nec in hanc descendere Arenam
Vires: consilium hoc nunc dat arena mihi.

Si tibi lassa chelys, vires si plaudere lassæ;
Plaudam ego arena meo, litus in omne, viro.

Johannes Antonius Castagnola, In præsenti Capuæ Gubernator.



INtegritas animi, probitas, quibus allicis omnes,
Virtutes inter jam micuere tuas.

Excipis his facilis populos, his omnibus aures
Præbes, his audis jura benigna foro.

Nec

Digitized by Google

Nec tantum his gentes, ſed Reges allicis ipſos;
Hinc Caroli meritò res, hominumque regis.

Macte vir invidiâ, qua tu praees omnibus, & qua
Te tua jam virtus invidet ipſa tibi.

Vitalis de Vitale.



NOmine tu vitam, vitam cognomine præfers;
Mirùm quas augent inclyta facta tua.

Tu probitate gravis, Capuæ jam clarus ab urbe
Huc redis, & populos hìc gravitate beas.

Ipſa tui facies Conſultum te undique monſtrat,
Virtutumque ſophum te probat ipſa gravem.

Virtus ſola tuum nomen ſacraverat, at nunc
Eſt virtute ſacrum, nominibuſque tuis.

Quid mirum æternū ſervas per ſecula nomen,
Si tua te virtus, nomina & ipſa canunt?



Digitized by Google

Franciſus Crivelli.



QUid noſtri addamus? tua te ſat gloria ludit;
Actoris partes, ſive agis ipſe rei.

Conſilio quantus ſis, ſcit ſatis ipſe Senatus,
Quò doctos inter docte Crivelle ſedes.

Tanta tuis eſt conſiliis ſententia mentis;
Viſa illis ut ſit Pallas & ipſa minor.

Si tua te celebret Mens, & canit undique fama;
Hoc unum de te, poſſe ſilere, datur.


Didacus Dux Zapatta.



QUid de te Zapatta canam, te candida dicent
Facta tui, fulgent quæ ſat ab ore tuo.

Ergo ſi tua te ſatis ora locuta fuere;
Non tibi ſit mirum, quod mea nunc taceant.

Dum taceo, contra tua ſat te dum ora loquuntur,
Te mea muſa canit, dum canit ora tua.



Te

Digitized by Google

Simeon Salazarius.



TE Pallas, te Astræa canat, sed pauper amicus
His mage te celebret, dicat & esse pium.
Tu virtute ingens venerando & corpore præstans,
Te virtus, facies &, veneranda canunt.
Si virtute intus, facieque ornaris ab extra,
Quis mage te felix, vel venerandus erit?
Hoc tamen ipsa canat de te mea musa; quòd ingens
Sis pietate domi, justitiâque foro.

Quarta Aula.
Cæsar Dux Invitti.



CÆsar, qui totum devicit Julius orbem,
Invicti numquam nomen in orbe tulit.
Tu contra cognomen habes, quo vincere cunctos
Heroas monstras, & superasse doces.
Unde ergo hoc nomen, cognomen & unde petisti,
Queis omnem heroem tu superare vales?

Digitized by Google

Reverendus Franciscus Nicolius.



NOmine regali, hoc voluit decorare Tribunal
 Alphonſus Princeps, juſſit & eſſe ſacrum.

Major at Alphonſo noſter Rex CAROLUS eſt, qui
 Nicolium ſacrum juſſit adeſſe virum.

Hinc non ex aliis, hujus ſed ab omine, ſacra
 Conſilii, Siren, dicitur aula tui.

Thomas Caravita.



CHara tibi vita eſt, vitâ ſed charior ipſe
 Eſt animus, quo tu candidiore nites.

Si tibi vita eſt chara, animus ſi candidus; eſto
 Charior hæc populis vita, animuſque tuus.

Nam bonus es dictis, factis es & optimus orbi;
 Attrahis ore omnes, charior atque beas.

Jure tibi ſervent vitam per ſecula Parcæ,
 Neſtoris & vitæ ſtamina longa neant.

Auguror; at populi, faveant ut fata, precate;
 Hæc vita, hic Thomas charus in orbe placet.

Si

Cæſar Boſcus.



SI vocem Auſoniam ſpectes nemus eſſe videris,
Saltibus innumeris, implicitumque nemus.

Sed nemus ipſa tuum gratatur ludere greſſu
Alma Themis, dubias ſolvit & ipſa vias.

Seque tuæ doctam recreat virtutis ad umbram,
Et gaudet nemoris fronde virente tui.

Tu virtute virens, animi probitate refragans;
Ab nemore ergo tuo germen honoris habes.

Franciſcus Antonius Perrelli.



CUm ſocios alios inter Prætoris in aulâ;
Et civi, & regno patria jura dares.

Tunc te primus honos cecinit per regna, per urbes,
Gloria virtutes eſt modulata tuas.

Illa eadem virtus nunc te celebretque, canatque,
Quæ tantos te homines inter adeſſe dedit.

Nos plectro laſſi dictis tantum addimus unum;
Quiſque tuas laudes ſumat ab ore tuo.

Seu

Tiberius Florus.



SEu fontes plectit, seu solvit jurgia, Pallas
Mente illi floret, floret in ore Themis.

Flora sedet vultu, sedet illi fronte venustas;
Queis sibi, queis populis Florus ubique nitet.

Moribus ista suis debentur florea serta;
Namque foro florens undique Florus olet.

Regia Camera Summariæ.
Ludovicus Marchio Paternus Locumtenens M. C.



FIda manus, mens fida, animi sapientia, virtus
Principis aulai te superesse jubent.

Magnus honor; sed ei præit ò quam maxima cura,
Quam superas quamquam sis seniore senex.

O ingens honor! o cura ingens! vicit utramque
Inclyta sed virtus ò Ludoïce tua.

Cum tot tu valeas, tantisque resistere rebus,
Rectè ergo Patris nomina clara geris.

Siste

Aliud.



SIfte gradum, eloquii numen venerare Paternum,
Omnes qui dictis vicit in acta fori.

Ut voluit, potuit Patrum fubvertere mentes;
Arbitrer & cordum tanta loquela fuit.

Fabula, quæ veterum cecinit miracla virorum,
Hujus in eloquio cæpit habere fidem.

Dudum eft, facundum vicit quòd Neftora dictis;
Illum annis reftat, vincat ut ifte fenex.

Aliud.



QUifquis amat Graj Demofthenis ora videre,
Et quicquid de illo garrula fama canit.

In Ludoicum oculos vertat; facundus ut ille,
Munere fic clarus, fic quoque mente fagax.

Uno diffimilis, parvo ftat corpore Grajus;
Corporis at formam Parthenopæus habet.



Qui

Præſidentes Longioris Togæ.
Honuphrius Marchio Buglius.



QUi potuit populos quondam moderare Sicanos,
Hìc ſedet, & Regis jam modò cenſet opes.

Hìc ſedes Aſtræa ſuas, poſuitque tribunal,
Et voluit leges reddere ab ore viri.

Quin voluit rabidam Scyllam, diramq; Charybdin
Conſilio regeret, flecteret imperio.

Sebetum meliùs placidum, ingenioque benignum,
Quàm meliùs dulcem Parthenopenque reget.

Joſeph Odoardus.



EN parte ex unâ Joſeph probitate decorus,
Qui jam Prætoris rexerat acta, ſedet.

Cernitis; utque hujus radiat virtute Senatus;
Utque ſeni vultu rideat aula ſimul.

Hic ætate gravis, gravior virtute ſuperbit,
Jura probat Regis, librat & acta ſui.

Hìc

Digitized by Google

Xaverius Marchio Garofalus.




HIc quoq; Prætoris quondam qui viſerat aulas,
Nobilior natu Xaveriuſque ſedet;
Cujus formoſo veniens in corpore virtus,
Fulget in ingenio, ridet in ore viri.
Seu frontem ſpectes, ſeu ſpectes intima cordis;
Corde Themis fulget, fulget in ore Venus.

Dominicus Caravita.



TU proavûm clarè luſtrans veſtigia patrum,
Suſcipis Aſtrææ puber honoris iter;
Inque forum pergis, quò non facundior alter,
Dulcior & morum nec probitate fuit.
Nunc dirimis cauſas, datur & te præſide, Regi
Quodve ſuum eſt, civi reddere quodve ſuum.
Sunt meritò ergo tibi Caravitæ nomina; namque
Carior es populis, carior es Themidi.



Q Mau-

Digitized by Google

Carolus Marchio Maurus.




MAuri nomē habes,nō hęc tibi nomina,Maure,
  Conveniunt, cum ſint candida facta tua.
Scilicet hoc uti vis tu cognomine, ut omnis
  Gens noſcat non à nomine facta regi.

Aliud.



NOn proavûm ſanguis, majorũ haud facta ſuorũ,
  Quæ non exiguâ ſunt modulanda chely,
Exornant caput hoc, primis florentibus annis,
  Atque jubent claros inter adeſſe patres.
Illa canat fatuus, narrat vel degener heres;
  Hunc ſua vel virtus, fata vel ipſa canant.
Ut juvenē celebrent Maurum, hæc certaſſe videntur,
  Splendorem virtus, fata dedere vices.
Utque tamen ſit, non fatum, non æmula virtus,
  Ipſa viri probitas luſit in omne bonum.



Con-

Carolus Marchio Ruoti.



COnsiliis quantus fueris, te pubere famam,
Laudibus immodicis, conciouisse ferunt.
Vidimus & dein te primâ florente juventâ,
Astrææ illustres condecorasse lares.
Invidia & quamquam pauco te tempore pressit,
Invidiâ major tu tamen inde nites.
Minos namque ferus postquam tua facta probavit,
Purus, & innocuus Regis ad ora venis:
Se fortuna, rotamque suam submittit, & inter
Minoes alios, quàm bene rursus ades.

Trojanus de Philippis, Regius Consiliarius, & Præsidens, in præsenti Foveæ Gubernator.



QUem cernis captam defert in nomine Trojam,
Ingens ut Trojæ; sic quoque fama sui est.

Digitized by Google

Jam regni varium vidit, rexitque tribunal;
Judicis at munus ductus in urbe capit.

Inde datur Fisci duras defendere partes;
Consilii hæc illum nunc tenet aula sacri.

Virtutem nosces parvo hoc in corpore, sed quæ
Corpore in exiguo grandia facta canit.

Matthæus Marchio de Ferrante, Regius Consiliarius, & Fisci Patronus.



SEu tu consiliis populos, seu jura ministras;
Seu quæ sunt Regis jura patronus obis;

Integra mens, animusque est, quibus omne per ævum
Vives; & nomen desuper astra feres.

Dum nomen super astra tuum, & super æthera ludit,
Æther, astra tibi lucidiora micant.

Fama alios aliter celebret, tibi sit satis unum;
Principis immensas quòd tuearis opes.



Hic

Præsidentes Brevioris Togæ.

Nicolaus Dux Marefca,
Antonius Comes Coppula,
Hyeronimus Vefpolus, &
Francifcus Marfchant.

Fifci Patroni.

Nicolaus Sarnus,
Francifcus Orlandus.



HIc Marefca fedet, fedet & quoq; Coppola, Mar-(fchant,
Vefpolus, & clari funt brevitate togæ.

Hos inter, fuperare vides quos vertice toto,
Sarnus, & Orlandus regia jura fovent.

Hi veluti elato, præftanti & corpore fulgent.
Sic animo rutilant, ingenioque nitent.

Contra illi brevitate togæ per fecula nomen
Longa trahunt: brevitas nomina longa facit.

Si nomen brevitas ergo vertitque, trahitque;
Hæc toga longa, fuâ de brevitate, venit.

Hæc

Digitized by Google

Magna Curia Vicariæ.
Dux Termulorum Regens.



HÆc aula eſt, reſidet quâ Regni Prætor, & Urbis,
Juraque quæ reddit, torquet & aula reos.
Qui contra ſedet, eſt alto de ſanguine Princeps,
Qui cauſas mandat, cætera cuncta regit.
Splendet uti vultu, nitet ac uti fronte venuſtas,
Juſtitia, & rectum ſic quoque corde nitent.
Corruit hìc laudum vaſto ſub pondere muſa,
Ac ante ora Viri, victa decore ſilet.
Si quid lector habes, aptè quod dicere poſſis,
Tu cane digna viro, tu cane digna Duce.
Tempus abeſt nobis, Muſa hoc unum addit amica;
Hic animo, hic vultu pulcher in urbe præeſt.

Aliud.



PLurima tu Themidi, Themis at tibi plurima dç-
Sive reos plectis, juraque ſive foves. (bet,

Aulas

Digitized by Google

Aulas illa tibi Prætoris credidit; at tu
Qualis in orbe Themis, quanta ſit illa doces.

Major uter veſtrum? tibi dant, Dux inclyte, palmam,
Per te cum niteat, ſurgat in orbe Themis.

Aula Criminalis prima.

Joſeph Andreaſius,
Regius Conſiliarius, & Caput Aulæ.



Quid pietas valeat, quid juſtitia, hic tibi quāquā
Non vultu docuit, mente, animoque docet.

Ornavit natura animum virtutibus, ornat
At contra vultus aſperitate graves.

Scilicet ut ſontes fateantur crimina ſponte,
Sic illi vultus, non animuſque datur.

Crimina, quæ punit rectè præponitur aulæ;
Puniat ut vultu, juſtitiâque reos.

Aſperitas addenda fuit, nam crimina plectens,
Juſtitiâ tantùm, plecteret illa minùs.

Qui

Digitized by Google

Judices.

Honuphrius Marchio Vignapiana,
Joseph Verdutius, &
Laurentius Marchio Brunasius.
Joseph Romanus Fisci Patronus.
Michael de Bonis Pauperum
Advocatus.



QUi latere e lævo ſedet, eſt & in ordine primus
Nominibus villam, planitiemque ſonat.
A dextrâ Joſephus adeſt, contraque Brunaſſus,
Qui rurſum huic meruit nuper adeſſe loco.
Tertius, & primus ſat mente, animoque coruſcant,
Alter at eloquio texit in urbe reos.
Romanus fiſci partes agit, atque nocentes
Undique plectantur curat ab urbe ſagax.
Quod dudum valuit regni exercere per aulas
Duplicat officium, crimina dira premens.

At

At contra innocuos, ſimul atque tuetur egenos
Michael, quive Boni nomen, & omen habet.

Ferrea vox, linguæ centum, ſint oraque centum;
Horum virtutes plaudere quiſve poteſt?

Ergo muſa ſile, horum & ſit pro laude, quod ingens,
Sontibus expulſis, fulget in urbe quies.

Aula Criminalis altera.

Martius Cirillus,
Regius Conſiliarius, & Caput Aulæ



HIc tu dum diros ſontes, & crimina plectis,
Ad Siculas oras te Themis alma vocat.

Scilicet ut ſontes quos non valuere Sicani
Plectere, tu plectas aſperiore flagro.

Haud equidem, tibi quãquam animus violẽtior eſſet,
Haud Themidis partes proſiluiſſe vales.

At tu dum Siculis Themidem, & ſua limina ſervas,
Noſtræ tu Themidis pandis ubique jubar.



Digitized by Google

Judices.

Petrus Sanblasius,
Nicolaus Miranda, &
Mattæhus Galianus.
Antonius Picardus Fisci Patronus,
Michael de Bonis Pauperum
Advocatus.



HIc primas implet sedes Samblasius, & tu;
Partibus e Regni qui, Galiane, venis.
A dextrâ Miranda sedet; sed jura Picardus
Fisci agit, & sævè vultu, animoque strepit.
Tertius, & primus reddebant jura per urbes,
Illis atque pares quartus, & alter erant.
In nocuos Michael etiam hac tutatur in aulâ,
Pauperis hìc etiam credita jura tegit.
Duplicat officium, duplici probitate refulget,
Moribus & duplex creditur esse Bonus.

Sin-

Digitized by Google

Singula de cunctis prohibet percurrere tempus;
Ordine & hic verso, versa Camœna fuit.

Formam nam veterem dum reddit CAROLUS aulæ;
Virtuti, & laudi plauserat ipse virûm.

Aliud
Pro utraque Aula.



Æacus, & Minos postquã hoc videre Tribunal,
Cum socio fertur pertimuisse nimis.

Tunc Radamantus ait; væ nobis talia noscat
Si Pluto, hos ponet, substituetque viros,

Sedibus in nostris; nos contra pellet ab Orco;
Duriùs, & manes inter abire jubet:

Quid faciendum ergo? flagra huc, huc tela, flagella,
Ferte citò furiæ pellite ab orbe viros.

Æacus at contra; furias si mittimus hasce,
Hæc mala quàm citiùs nos properamus, ait.

Vivant ergo diù, ducant per secula vitam,
Terrigenos sontes perpetuòque premant.

Aula prima Civilis.

Jacobus Bisantus,
Joseph Aurelius de Januario,
Joseph Ciminus.



QUæ cernis primum forma est uti pulchrior illi,
Sic quoque Bisantus jura benigna regit.

Ille tenet dextram Joseph, qui, litore Grajo
Consultis positis, litus in omne, sonat.

A lævâ Ciminus erit, qui rexit opimæ
Materæ populos, credita jura dedit.

Tertius, & primus populos rexere per annos,
Alter patronus clarus in urbe fuit.

Hæc prima Aula est, quà lites, & jurgia Prætor
Solvit, & ingenuos gaudet habere viros.

Vìdit ut ista Themis, fractis citò lancibus, inquit;
Non opus hìc vestrum est amplius; ite procul.



Am-

Digitized by Google

Aula Civilis altera.

Fernandus de Ambrosio, Dominicus de Rubeis, Aloysius Bolifonius.



AMbrosius, Themidis docuit qui jura lyceis,
  Judicat hic lites, primus & ipse sedet.
De Rubeis dextram tenet, alto & corpore fulget;
  Virtutem alta suam civis Arena canit.
Occupat at lævam Fusci de vertice Montis
  Huc veniens Bulifon, candida jura reget.
Tertius, & primus regni illuxere per aulas,
  Floruit hìc alter clarus in acta fori.
Altera Prætoris, quæ ex his componitur Aula,
  Jurgia præludit, reddit utrique suum.
Vidit ut hæc, positis, inquit Discordia, rixis;
  Altera quam meliùs surgit in orbe Themis.



In-

Digitized by Google

Erasmus Ulloa, y Severino, Regii Exercitus Auditor, & Consiliarii munere nuper insignitus.



INdicat hic facie, quanta est sua gratia dictis,
Quantum mellifero currit ab ore melos.

Quot sontes olim potuit defendere, pœnas
Hujus ab eloquio non retulere graves.

Inclyta de te sat loquitur tua fama vetusta;
Et decoris tibi nil detulit ipsa toga.

Jamdudum decora hæc, & jam majora merebas:
Hinc toga nil tibi, sed splendor es ipse togæ.

Franciscus Vulturale, Campaniæ Commissarius.



O' Qui Campanas regis aulas, atque tribunal,
Solvis & innocuos, plectis & inde reos.

Seu Vultu tu Rarus abis, seu sæpe revisis,
Quæ commissa hujus sunt tibi jura plagæ.

Ne

Digitized by Google

Ne ſontes punito ferox, mirabere vultum
  Ipſe tuum, atque ab eo munus obito tuum.

Utque places vultu, placeas quoque fontibus; & ſic
  Tu ſolus populis juſtus, & æquus eris.

Franciſcus Carſora,
Joſeph Romanus,
alter Aletii Præſes, alter Tranii.



VIx æquas Aſtræa videt librare bilances;
  Rectiùs & vos vix reddere jura videt.

Et citò te Franciſce vocat, vocat & quoque Joſeph
  Te, regere & Regni maxima membra jubet.

Aletium alter habet, pars eſt quæ maxima Regni,
  Alter feſtinans Trania tecta ſubit.

Hìc vos alma Themis poſtquam deduxit, & omnes
  Arbitrio veſtro credidit illa vices.

Ite inquit, populi, horum vos & tecta ſubite;
  Nam jura hi vobis quàm meliora dabunt.



Digitized by Google

Casimiro de Rubeis Archiepiscopo Salernitano, ac Josepho Aurelio de Januario præclaro M.C.V. Judici Operis Absolutio.



Coepimus hæc, facili ut fluerent nostra otia plectro,
Ludere Atripaldæ dū coleremus agros.
Tempus erat, quo me sylvis medicina levabat;
Curabat vatem magnus Apollo suum.
Sebethi ad ripas opus hoc complevimus omne;
Dulcior & ruri, cum mora nostra fuit:
Quò, claudens Astræa forum, licet ire quotannis,
Litibus æstivis cum datur alma quies.
Si Tuschi desunt, illos Etruria cantet,
Sicania ipsa suos concelebretque viros.
Tempus erit, mea quo meliori musa cothurno
Hos dicet; nostros sit cecinisse satis.
Parcite vos genio tantorum gesta virorum,
Dicere si nostra, haud apta Camœna fuit:
Et sileant momi: dedimus quæ nostra potestas,
Quæve animus potuit totus obìre meus.
Quæ si non æterna sonent; æterna nec essent
Mens fuit: at fatum cætera cuncta regat.

Et

Et nobis satis est, fuerint si accepta parumper
 Hæc; quibus ingenuè scripta fuere, viris:
Namque hæc, quæ genio, & sociis suadentibus, ipsi
 Scripsimus, insuetâ lusimus atque lyrâ;
Novimus impleta illa haud omni ex parte videri,
 Defectus & habet nostra Camœna suos.
Quos lector quandoque etiam excusabit amicus;
 Nonne & defectus Sol habet ipse suos?
Hæc nos, & postquam proprio ore, animoq; fatemur,
 Qui putat hos versus tangere stultùs erit.
Si tamen injustus fuerit, cui plurima momus
 Prava videbuntur, ni mala cuncta legat.
Tunc Tu, quem tenet alma urbs a sale dicta Salernũ
 Huc agito, & momi spargito membra sale.
Postea tu nostris sal verum appone Camœnis,
 Ut per te meliùs carmina nostra sonent.
Tunc docte ò Casimire fave, defende sodalem;
 Te quondam Aonios scimus adisse lares.
Et tua, quæ sacrata tibi caput infula texit,
 Ut te, sic etiam carmina nostra tegat.
Momorum & fuerit postquam conspersa rubore,
 Vertat se in rubram, & te rubra facta petat.
Quin potius Petro tu sacra ad limina ductus,
 Auguror, alma regas limina sacra Petro.

Tunc

Tunc Joſeph etiam tu , cui poſt funera lethi
Inveniſſe ſophos , his loqui & inde datum eſt,
Huc age ; & Ægæo poſitos in litore Juris-
Conſultos produc , carmina ut iſta tegant.
Quippe placet ſociũ his defendere;namq;Camœnas
Illorum plures incoluiſſe doces .
Quos inter meliùs tu , qui almis moribus , omnes
Doctrinâ ſuperas , carminibuſque tuis.
Scimus te verum dici , doctumque Catullum ;
Sic de te ex actis Lipſia docta monet.
Quò conſultorum tua nunc Reſpublica rurſum
Acta eſt in prælo , laude & adaucta novâ .
Sic parte ex unâ Caſemiri me infula docti ,
Ex aliâ tuus et mos , probitaſque tegens,
Evadam incolumis , ſalvus quoque & iſte libellus ,
Gloria ſic vobis , atque honor omnis erit.

F I N I S.

ERRATA.		CORRIGE.
pag. 40. *verſ.* 4.	valde	magna ,
pag. 54. *in tit.*	*Princeps*	*Dux.*
pag. 61. *verſ.* 3.	imperante	imperitante
ibid. *verſ.* 12.	pergrandi	prægrandi
pag. 90 *in tit.*	*Stiliani*	*Hoſtiliani.*
pag. 91. *verſ.* 8.	concecinitque	concinuitque
pag. 94. *verſ.* 17.	perfractaque	præfractaque
pag. 108. *verſ.* 9.	ſubis	capis
pag. 115. *verſ.* 13.	æternè	æternum
pag. 117. *verſ.* 5.	lege ; facie ſi ornaris & extra	
pag. 119. *verſ.* 7.	refragans	refragrans
pag. 121. *verſ.* 4.	arbitrer	arbiter

Cætera benevolus lector excuſet , & humaniter corrigat .

2014(0)